DE INVENTIONE IUVENALIS CAPITA TRIA.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB ILLUSTRISSIMO

UNIVERSITATIS BASILIENSIS

ORDINE PHILOSOPHORUM RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALFREDUS HARTMANN
BASILIENSIS.

BASILEAE.
TYPIS FRIDERICI REINHARDTI.
MCMVIII.

DE INVENTIONE IUVENALIS CAPITA TRIA.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB ILLUSTRISSIMO

UNIVERSITATIS BASILIENSIS

ORDINE PHILOSOPHORUM RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALFREDUS HARTMANN
BASILIENSIS.

BASILEAE.
TYPIS FRIDERICI REINHARDTI.
MCMVIII.

Genehmigt von der philologisch-historischen Abteilung der philosophischen Fakultät auf Antrag der Herren Professor *Dr. Friedrich Münzer* und Professor *Dr. Hermann Schöne.*

BASEL, den 4. März 1908.

Ferdinand Sommer, Dekan.

Argumentum.

Qui nuper exposuit oratione luculentissima, quae maxime nostra aetate essent proposita historiae litterarum Romanarum, Ricardus Heinze[1]), cum alia postulavit, tum, ut in scriptorum rationem inveniendi diligentius inquireretur; qua via quantum re vera profici posset in pernoscenda poetarum arte, ipse iam quattuor ante annis egregie probaverat libro illo subtilissimo cui inscripsit „Virgils epische Technik“.

Quodsi adhortante Friderico Muenzer simili ratione pro viribus meis Iuvenalem tractandum suscepi, pauca ante monenda mihi videntur. Haud commode enim in satiricum poetam hoc modo inquiri in aperto est, quoniam talia conanti exponendum est, quae sit „die Gestaltung des überlieferten oder tatsächlich vorliegenden oder von der Einbildungskraft konzipierten Stoffes“ (Heinze l. l. pag. 168): satirico autem cum instituta, mores, vita denique tota suorum maxime temporum materiam suppeditet, his rebus omnibus penitus cognoscendis opera danda videtur, antequam intellegere possimus, quo modo argumentis suis usus sit poeta in saturis conscribendis. At qui ad tantam illorum temporum notitiam pervenitur? Habemus certe permulta de moribus Romanorum aetate imperatorum tradita, quae diligenter congessit et compte in quandam absolutionis speciem composuit Ludovicus Friedlaender; sed — quod minime fugit virum illum doctissimum[2]) — ad magnam partem de-

[1]) „Die gegenwärtigen Aufgaben der römischen Literaturgeschichte“, Antrittsvorlesung in Leipzig 1906. (Neue Jahrb. f. d. klass. Altertum XIX. 1907, pag. 161 ss.)

[2]) „Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms“ I.[6] praef. p. VII., p. 520 et passim.

pravata sunt testimonia atque corrupta aut certe non sine iudicio legenda, quippe quorum sunt auctores poetae satirici i. e. pictores, qui non integram veramque rerum formam intuentur atque depingunt, sed singulis modo arreptis lineas distorquent, colores exaggerant, umbras augent: Petronii, Martialis, Iuvenalis, Luciani nomina nulla fere non pagina leges in adnotationibus Friedlaenderi. Alia ergo via eundum erat.

Atque opportune accidit, quod in aliorum poetarum saturis inveniuntur eadem argumenta tractata, quae Iuvenalis sibi proposuit: quibus diligenter comparatis magna spes est fore, ut hoc saltem modo, quae sit Iuvenalis propria inveniendi ratio, enucleamus. Sic igitur quid secutus sit in inveniendis saturis, unde homines castigandos sibi arripuerit, quid in arreptis notaverit, quemadmodum notandos tractaverit, exponere conabor neque suo loco monere omittam, quanto inventio fuerit momento ad compositionem saturae; habet enim illud quoque nonnihil fructus [1]) atque delectationis causis allatis „aufzuzeigen, wie Iuvenal bald die Situation nicht festhält, bald von dem Hundertsten ins Tausendste kommt". [2])

Neque tamen totum Iuvenalis opus tractaturum esse me novicium expectabis sane: tres saturas elegi, quae optime prae se ferre mihi videbantur propriam quandam saturae Iuvenalianae notam, atque eas omnes e primo libro sumptas; prioribus enim maxime operam dandam esse puto, si, quid novi attulerit Iuvenalis saturae Romanae, inprimis spectandum est. Attamen ne hac quidem in parte exigua omnia quae aut universe aut singulos ad versus dici possint me absolvisse contendo, neque numquam a recta inquirendi via aberrasse me confido: incerti sunt passus hebetesque oculi eius qui primus regiones ignotas atque eas fere immensas perlustrat. Ceterum ut paucis me continerem in materia amplissima, ut ipse nonnulla supprimerem, ne aut turbarem

[1]) Quantum hac ratione ex. gr. in historicorum fontibus indagandis profici possit, Fridericus Muenzer docet in compositionem Velleii Paterculi inquirens (Festschrift zur 49. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner, Basel, 1907, p. 247 ss.).

[2]) Gercke, Gött. gel. Anz. 1896, p. 979.

disputationis cursum aut longius producerem, ipsa iam huiusce libelli ratio suasit; in aliud tempus talia reservanda videbantur.

Haec igitur suscipienti mihi maximo usui fuerunt Iuvenalis editores commentatoresque, e quibus primo loco nomino J. E. B. Mayor Britannum[1]), mirabili cura, singulari industria, maxima doctrina ita opere suo functum, ut vix invenias locum afferendum, quem ille non iam attulerit. In singulis non pari semper diligentia usus de inventione, compositione, tractatione illustranda optime meritus est Ludovicus Friedlaender[2]), cuius historiae morum Romanorum pariter multa debeo. Priores quoque commentatores (Rupertium, E. G. Weberum, C. F. Heinrichium) et Bluemneri Iuvenalem Germanice redditum[3]) non sine fructu interdum inspexi. Adiumenta alia rarius adhibita suo loco laudabo; textum sequor editionis tertiae Buecheleri (1893).

[1]) Thirteen satires of J., with a commentary, by John E. B. Mayor, Londiniis, novissime cum additamentis iterum typis expressum vol. I. 1901, vol. II. 1900.

[2]) D. Iunii Iuvenalis saturarum libri V. Mit erklärenden Anmerkungen von L. F. Lipsiae 1895.

[3]) Satura, ausgewählte Satiren des Horaz, Persius und Iuvenal, Lipsiae 1897.

I.

De satura prima.

Qui nobis servati sunt saturarum generis Luciliani scriptores omnes suum esse putabant breviter aut copiose dicere de scribendi genere quod sibi elegerunt acerbo neque omnibus legentibus iucundo et grato (cf. Hor. sat. I. 4, 22 ss.). Lucilius poeseos suae rationem defendit in libro XXVI., quem primum edidit, et in libro XXX., quo versu hexametro uti coepit, Horatius satura quarta et extrema primi et prima satura alterius libri, Persius prologo scazontibus conscripto et satura prima. Neque Iuvenalis neglexit argumentum a prioribus traditum: ea quam primam posuit satura coloribus Horatianis vel Lucilianis usus et de causa, qua ad scribendum impulsus esset, et de consilio scribendi egit.

Atque versibus 1—18 quidem Iuvenalis per iocum magis exponit, quomodo factum sit, ut ipse quoque ab auditoribus ad poetas transfugeret; deinde, ut demonstret, cur saturae potissimum operam dederit, summa vi atque indignatione, sermone concitato, verbis pressis, uno tenore usque ad v. 80 permultis exemplis allatis docet, tantam esse iniuriae, flagitiorum, criminum molem, ut difficile sit saturam non scribere; hoc idem ut amplius probet, v. 81—146 remissiore sermone et narratione uberiore alia addit vitia, neque monere desinit, nunquam maiorem fuisse vitiorum copiam; tum vero (150—171) dehortantem inducit interlocutorem eiusque monitis permovetur, ut ad mortuos tantum nominatim castigandos deflectat.

Duas igitur apparet esse saturae partes, quarum altera versatur in exponenda huius poeseos generis ratione et consilio, altera — multo maior — in enumerandis atque castigandis hominum vitiis.

Iam, ut primum cognoscamus, quid de satura sua Iuvenalis sentiat, Horatii defensiones in comparationem vocemus, quibuscum apte coniunguntur Lucilii fragmenta hanc rem tractantia. Atque quattuor causas saturae conscribendae profert Horatius: primam I. 10, 30—48: „nihil mihi relinquitur, quod tractem, nisi satura; nam, ut taceam de versiculis Graecis, comoediae, tragoediae, carmini heroico, bucolico iam alii optime operam dederunt; quibus si me adderem, in silvam ligna ferrem"; secundam II. 1, 10—23, Lucilianis (620. 621 M.) coloribus ornatam: „neque possum neque audeo Caesaris invicti res dicere"; tertiam II. 1, 28—34: „Lucilium sequor", quod etiam sat. I. 4, 6 subaudiendum esse recte adnotat R. Heinze (ed. Kiessling³ pag. 55) [1]); quartam [2]) omnium gravissimam, II. 1, 24 ss., 50 ss.: „qua ego sum natura, facere non possum, quin saturas scribam", quocum conferendus est locus I, 4, 105: „insuevit pater optimus hoc me, ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando". Hoc igitur tenendum, Horatium — itemque Lucilium, ut videtur — ideo ab aliis poeseos generibus sese abstinuisse contendere, quod animi natura atque indole ad vitia notanda latus esset.

Longe aliam affert causam Iuvenalis. Et ipse quaestionem movet de carminum epicorum argumentis, quae quis, ut tractet, fortasse hortetur (52 s.); sed non respondet „cupidum, pater optime, vires deficiunt" (Hor. II. 1, 11), neque simulat se cum melioribus huius generis poetis contendere nolle, immo talem clamat esse temporum morumque condicionem, ut non dubitari possit, quin ceteris omissis in ea notanda, increpanda, accusanda omnes vires adhibendae sint: non iam — ut apud Horatium — poetae animi natura atque studium, immo — ut Persius quoque profitetur, 1, 8 ss. sermone tamen obscuriore — res imperant, quodnam poeseos genus sequi debeat, qui scribendo operam daturus est; tempora cogunt vel invitum; atque adeo subvertit rem Iuve-

1) Ceterum hunc ducem ab Horatio electum esse ex ipsa satura quarta satis enotuisse fragmenta Lucilii nos docent: cf. Marxium vol. II. p. 316, ad v. 628/29. 1015. 1027. 1029.

2) Idem iam Lucilius videtur professus esse v. 622; fortasse et v. 623 huc spectat; quem tamen ab editore doctissimo aliter video explicari.

nalis, ut non iam hunc excusandum esse videatur, qui scribit saturam sed eum, qui non scribit:

. . . .

difficile est saturam non scribere, nam quis iniquae
tam patiens urbis, tam ferrens, ut teneat se,
cum . . . . . ? (30 s.)

. . . . . .

haec ego non agitem? sed quid magis? Heracleas
aut Diomedeas aut . . .
cum . . . . . . ? (52 ss.)

Bene se ita defendere poetam, et atrocem certe saturam atque quae digna est, ut legatur, talibus verbis promitti nemo non videt. Quam temporum condicionem diram cum gravissimam saturae conscribendae causam proferat Iuvenalis, neque habet, cur de se ipso loquatur exponens, quis sit, unde ortus, qua educatione animi imbutus[1]), neque, cur se alterius exemplo captum profiteatur: nominat certe et Lucilium (v. 20. 165.[2]) cf. 153) et Horatium (v. 51), sed eo consilio, ut totum poeseos genus notet nominibus auctorum celeberrimorum, non, ut se eorum vestigiis pie insistere velle renuntiet. Neque mirandum, quod eodem aggravandi studio ductus etiam aliis in rebus ab Horatio differat[3]): Horatius I. 4, 138 tum se, quae compressis labris agitaverit, conscri-

[1]) Nam rhetorum scholae v. 15 mentionem facit non ut saturam suam defendat, sed ut doceat suo iure se ab auditoribus ad scriptores transisse.

[2]) Quam Iuvenalis inducit imago ensis stricti — nimirum ea gavisus et v. 169 militarem sermonem retinet — ex ipso Lucilio fortasse sumpta est. Horatius enim s. II. 1, 39, ubi suam saturam Lucilianae comparat, promittit: „sed hic stilus haud petet ultro quemquam animantem et me veluti custodiet ensis vagina tectus: quem cur destringere coner . . . . ?“ Iam loco Iuvenalis collato verisimillimum mihi videtur ideo Horatium hac potissimum imagine demonstrare voluisse, quantum ipse a Lucilio differret, quod ille minitatus erat se „ense stricto“ grassaturum in adversarios. Neque neglegendum, quod simili colore — non ex Horatio sumpto — et Persius Lucilii saturam describit 1,114 „secuit Lucilius urbem . . .“; atque Scipionis in bello Numantino contubernali facile obversari potuit talis imago (de sermone eius castrensi cf. Marxii proll. p. CXIX et indicem grammaticum), qua Caligula quoque, castrorum filius, utebatur (Suet. Cal. 53); eadem tamen et apud Ciceronem occurrit pro Cluent. 123 et Phil. 2, 34.

[3]) Haud scio, an consulto talia opposuerit poeta Horatii verbis; cf. pag. 9, adnot. 1.

bere dicit „ubi quid datur oti"; contra Iuvenalis tanta est indignatio, ut exclamet (v. 63):

> nonne libet medio ceras implere capaces
> quadrivio . . . . . ?

Horatius multa profert de saturae forma atque arte; qua in excolenda quanta diligentia poetae adhibenda sit illis praecipue locis docet, ubi Lucilii versus rudiores vituperat (cf. inprimis I. 10, 67 ss.); contra Iuvenalis neglegendam esse formam contendit, dummodo argumentum teneas (v. 79 s.):

> si natura negat[1]), facit indignatio versum
> qualemcumque potest . . .

Iam non solum quibus exponerent, cur saturae potissimum operam darent, proferre solebant satirici, sed etiam, quibus suspiciones hominum timidorum amoverent. Horatius igitur identidem affirmat, iniuria saturam suam suspectam esse: nam primum se minime cupere ab omnibus audiri aut lectitari (I. 4, 22 s., 71—4; I. 10, 74 ss.; cf. Luc. 588—596; Pers. 1, 128 ss.); deinde numquam maligne se quemquam carpturum neque ullum se aggressurum esse, nisi qui ipse lacessiverit (I. 4, 64—70; 78—103; II. 1, 39—46; cf. Luc. 1030). Talia quidem Iuvenalis non promittit; attamen ei quoque nonnihil remittendum erat de saevitia. Quo ut apte transeat, ea disserendi forma utitur, quam a Lucilio primo in libro XXVI. adhibitam servaverunt diligenter qui post illum talia tractaverunt: namque et Horatius et Persius, quamquam varia arte, inducunt quendam adversarii partes agentem, et monentem, quantum habeat satura invidiae et odii, et hortantem, ut alia potius describenda eligat. Itaque Iuvenalis quoque, qui iam v. 52 interlocutorem respexisse videtur, ex adverso sibi dicentem facit hominem consideratum ac sapientem (150 ss.), qui scrupulum moveat ipsi vehementius effervescenti.

[1]) Miror, quod ne Mayor quidem, editor diligentissimus, animadvertit Iuvenalem locum Horatii respexisse sat. I. 10, 56 ss. „quid vetat et nosmet Lucili scripta legentis quaerere num illius, num rerum dura n e g a r i t versiculos n a t u r a magis factos . . ." Quem locum praeteriit etiam Paulus Schwartz, de Iuvenale Horatii imitatore, Diss. Hal. 1882.

Et in quantum auget periculum atrocitatemque poenae! Iam non illud timet, ne qui amicus magnus iracundia commotus poetam nimis libere loquentem discedere iubeat (Hor. II. 1, 60; Pers. 1, 107), immo supplicio crudelissimo esse destinatum, qui satiricorum more notaverit hominem potentem, affirmat magna colorum atrocitate (155 ss.): „taeda lucebis in illa . . .". Atque habuit profecto poeta, cur multo horridiora gravioraque sibi ante oculos poni vellet, quam quae Horatio Trebatius cecinit: nempe et concedere interlocutori multo graviora, quam quae Trebatio Horatius concessit, in animo erat Iuvenali (170 s.):

. . . . . . experiar quid concedatur in illos
quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

Talia ut probaremus in poeta satirico, qui paulo ante summa voce exclamavit (87): „et quando uberior vitiorum copia?" vel „nil erit ulterius quod nostris moribus addat posteritas" (147)[1], haud leves sane causae afferendae erant. Et hoc quidem concedendum apte Iuvenalem argumento et forma a prioribus saturarum scriptoribus tradita usum esse, ut novam suam et miram temporis rationem defenderet.

Iam alteram saturae partem inspiciamus, exempla scilicet summae saeculi nequitiae, quibus demonstrare studet poeta facere se non posse, quin saturas conscribat.

Quaecumque igitur enumerantur vitia non tam perstringendi ilico causa in medium proferenda erant, quam ut poetae consilium comprobarent. Licuit ergo vel potius oportuit paucis modo verbis presse, circumscripte, summatim notare ea, quae adeo bilem moverunt poetae; singularum saturarum fuit singula accuratius persequi. Quaestionem ergo de secunda saturae parte ita instituam, ut primum dicam — omissis iis, quae argumenti fines excedere mihi

[1]) Ubi vincere studet Horatianum illud „aetas parentum peior avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem" (carm. III. 6, 46 ss.); Ovidius quoque nondum ea qua Iuvenalis acerbitate iam in summam nequitiam perventum esse affirmat fast. I. 195 ss. „tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi: vix ultra, quo iam progrediatur, habet."

videntur — de materiae genere et describendi ratione quam secutus est Iuvenalis in enumerandis corruptionis exemplis, deinde de additamentis, inquirens, quid satiricum impulerit, ut egrederetur, et quo sit ductus egrediendo.

Atque haec exempla fere omnia — quae quanto sint momento ad cognoscendam satirici inventionem manifestum est — duas prae se ferunt iniquitatis causas: agitur aut sexus ratio perversa aut rerum hominumque iniquitas. Neque casu certe factum est, quod in primis versibus (22—29) utrumque genus binis exemplis diligenter depictis et compositis [1]) illustratur:

cum tener uxorem ducat spado, Mevia Tuscum
figat aprum et nuda teneat venabula mamma,
patricios omnes opibus cum provocet unus
quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat,
cum pars Niliacae plebis, cum verna Canopi
Crispinus Tyrias umero revocante lacernas
ventilet aestivum digitis sudantibus aurum
nec sufferre queat maioris pondera gemmae,
difficile est saturam non scribere . . . .

His in rebus castigandis re vera plurimae Iuvenalis saturae versantur, haec sunt argumenta iterum atque iterum mirabili adsiduitate a Iuvenale tractata; has suo iure primo loco indignationis causas posuit.

Quamquam in ipsa satura prima pauca quae ad sexus rationem spectant exempla proferre satis habet: spadoni semiviro, qui uxorem ducit — augetur homulli mollitia muliebris verbo „tener" addito — adiungas adulterum adhuc praetextatum (v. 78); viragini venatrici [2]) — cuius asperitatem virilem ut vivide illustret, poeta non aprum quemlibet venari

[1]) Animadvertas quaeso gradationem: enuntiatum primum („cum tener — spado") nondum unum implet versum; secundum („Mevia — mamma"), iam paulo amplius superatur a tertio („patricio — sonabat"); cuius duos versus maiore verborum copia („cum pars . . ., cum verna . . . — gemmae") sequuntur quattuor de Crispino versus.

[2]) Iure Friedlaender de venatione dici contendit; potuit conferre Varronis Menippearum fg. 300—2 B., quibus similiter de habitu mulierum venantium indecoro videtur agi (cf. Ribbeckium, mus. Rhen. 14, 128).

eam vult sed Tuscum [1]), neque venari solum sed et figere — addas amicam illam iuvenis nobilis (v. 62), quae habitum saltem virilem indecore sibi sumpsit. In ceteris huius generis argumentis iam et alterum illud tangitur, iniquitas atque iniuria hominibus qui nunc sunt perferenda: ubi de feminis impudicis satiricus dicit, talia eligit exempla, quibus simul iniuriam aliis inferri appareat: novas nuptas decipientes maritum cui modo nupserant (v. 77), et sponsas vel perfidiores illis, quae adultero prius quam marito indulgent (78). Quo colore exornat et narratiunculam illam antiquitus traditam (cf. Marxium ad Luc. v. 1223) de marito, qui ipse moecho lenocinatur (v. 55—7), ubi, si rectum video, non solum incredibilem matrimonii corruptionem castigat, sed simul et hoc, quod turpissimum in modum divitias acquirere [2]) licet homini nequissimo, qui lege Iulia de adulteriis puniendus erat. [3]) Manifestam hanc alteram indignationis causam certe v. 37 ss. produnt:

1) Cf. Mart. XII. 14, 9 „Si te delectant animosa pericula, Tuscis insidiemur apris". — Ceterum mirum quantum amat Iuvenalis coloribus propriis notare quae universe absolvi potuerunt: cf. 1, 69 Calenum, 6, 430, 13, 216 Falernum pro quolibet vino; 3, 257 saxa Ligustica; 8, 15 Euganea agna; ib. 16 Catinensi pumice; ib. 145 Santonico cucullo; 9, 556 praedia Apula, Trifolinus ager; 10, 14 ballaena Britannica; 11, 108 Tusco catino; 13, 85 Phario aceto.

2) Ita interpretor. Quamquam si qui iuris Romani peritus toti loco operam dare velit, fieri posse confido, ut vel aliam rem indignatione dignam enucleet. Nam hoc quidem recte Gercke (Gött. gel. Anz. 1896, 974) monet, non accurate sententiam expressisse Iuvenalem: plura nimirum simul castigare studenti singula non satis dilucide contigit exponere. Sed haud iure vir doctus Friedlaendero obloquitur „ich finde nichts von diesen feinen Unterschieden zwischen accipere und capere in der Satire, nichts vom Tode des Liebhabers, nichts von einer Erbschaft . . . ." Licet enim mihi quoque iam Heinrich persuaserit v. „accipere" non stricto iureconsultorum modo interpretandum videri („von einem Fideicommiss kann . . . ebensowenig die Rede sein, indem der Mann kein solcher Narr sein wird, die Erbschaft nicht für sich zu behalten"; ceterum ipse Ulpiani locus (Dig. L 16, 71) „capere, cum effectu accipitur" docet, ne iureconsultos quidem ita verbo „accipere" usos esse, ut solum sit pro „in fideicommissum accipere"), tamen de hereditate — atque ea nimirum haud exigua — loqui poetam mihi probat cum verbum „capere", tum illud, quod dicitur „moechi bona": legantur bona, non inter vivos in solutum accipiuntur. Conferas etiam v. 6, 218, ubi uxor testamento mariti moechos heredes instituit.

3) Dig. XLVIII. 5, 2, 2 „lenocinii quidem crimen lege Iulia de adulteriis praescriptum est, cum sit in eum maritum poena statuta, qui de adulterio uxoris suae quid ceperit"; ib. 5, 8 „qui . . quaestum ex adulterio uxoris suae fecerit . . . quasi adulter punitur"; cf. ib. 5, 29, 2—4.

cum te summoveant qui testamenta merentur
noctibus . . .

Namque haud magis ipsum subactorum quaestum foedissimum tangit poeta quam quod sceleratissimus quisque maxime proficit, quod crescunt improbi, affliguntur probi.

Transeamus igitur iam ad ea exempla, quae iniquitatis rerum hominumque illustrandae causa a Iuvenale proferri supra dixi; hanc maxime sibi bilem movisse v. 30 significat:

nam quis iniquae
tam patiens urbis . . . . ?

Atque tria potissimum argumenti genera discerni posse puto, nonnumquam tamen ita congesta et coacervata, ut dubius haereas, quidnam prae ceteris pressisse poetam sumas; vel data opera ad augendam saturae acerbitatem coniunxisse complures indignationis causas in uno exemplo videtur.

Primum plurimum studium talibus exemplis inveniendis et acerbe depingendis Iuvenalis tribuit, quae demonstrent iam eo perventum esse, ut is plurimum proficiat, qui minime meretur proficere, ut certa sceleri praemia sint proposita Neque tamen omnia, quae huc pertinent, eadem acerbitate imbuta sunt: ubi omittit poeta dicere de proficiendi ratione, contentus opponere qualis sit vel fuerit homo et quo nunc pervenerit, minus te movebit, persuadeat tibi licet his contrariis acriter oppositis, non nisi malis artibus tantam fortunae commutationem fieri potuisse. Sceleris certe nihil inest in eo, quod, qui antea fuit tonsor, nunc est homo ditissimus (24 s.): indignationem tamen ut excitet satiricus, acerba irrisione eundem, qui suapte manu ipsi poetae adulescenti barbam totondit, nunc non Narcissum vel Posidem vel alium quendam libertinum fortunae gratia elatum superare vult, sed nobilissima patriciarum gentium nomina, et ita quidem, ut unus *βάναυσος* ille cunctos antecedat patricios. Maiore verborum copia Crispinum pertractat poeta (v. 26–29) ab utraque parte coloribus non parcus, et genus hominis vilissimum depingens et iactationem insolentem delicati [1]; sed

---

[1]) Non feliciter Gercke (l. l. p. 975 s.) exponit lacernas Tyrias dici non de veste hominis lauti et belli, sed de insigni praefecti praetorio, mira nisus

flagitii quod commiserit, ut ad tantas facultates perveniret, neque hoc loco mentio fit; nempe satis indigna attulisse Iuvenalis sibi videbatur, cum Aegyptium infima de plebe ortum Romae ita se gerere posse appareret, ut nobilissimo loco natum crederes. Neque illud te penitus commovebit, quod exemplo iuvenis nobilis „qui bona donavit praesepibus" (v. 58 ss.) usus queritur certam honorum praemiorumque spem ei ante oculos versari posse, qui consumptis maiorum bonis minime praemiis dignum se praebuit. Iam vero quae Mathoni causidico (v. 32) odium contrahant vix licet intellegere; neque rectum vidisse commentatores mihi videntur, qui — non opportune memores loci 7, 129 ss. — hoc vitio dari causidico interpretantur, quod vana operum ostentatione allicere studet, qui ad se causam agendam deferant: at talia nonne miserationem potius — siquidem septimae saturae consilium respicis — quam indignationem summam (cf. v. 30 s.) excitant? Immo et hunc — ut Crispinum — recentibus divitiis immerito frui satiricum clamare crediderim, scelere quidem, quo se tam beatum reddiderit, ut supra omisso: potes tibi fingere causidicum fraudulentum, cui adeo successit [1]), ut iam lectica gestari inciperet (ideo „nova" lectica), sufflatus novis divitiis („plena ipso"). Paulo acrius iam sonat saltem, quod perversae iustitiae testem affert poeta (47 s.) hominem flagitio quodam famosum vel potius iam damnatum, cui nihilominus Romae libere atque impudentissime divitiis suis frui licet; quo tamen iniquitatis legum et corruptionis temporum exemplo ut capiaris, ante te imbueris oportet mira illa de multandi ratione sententia „quid enim salvis infamia nummis?"

Nihil vero ad summam acerbitatem iis deest exemplis, ubi non solum quo, sed etiam q u a r a t i o n e e t v i a pro-

---

interpretatione Martialis epigrammatis VIII. 48, quam ut pluribus refutem, non hic est locus. Certe non licet contendere: „Juvenal hat die Bekleidung des Crispinus seinem Freunde entlehnt, aber hier wie oft die Pointe verdorben."

1) Cf. quae apud Petronium c. 46, § 8 B.⁴ de Philerone causidico dicit pater filium exhortans: „vides Phileronem causidicum . . . . modo modo collo suo circumferebat onera venalia, nunc etiam adversus Norbanum se extendit."

fecerint homines indigni, exponitur: hoc exemplorum genus universa sententia notatur v. 75 s.:

criminibus debent hortos praetoria mensas . . .

In quibus duae res sunt, quas maxime premit Iuvenalis: primum opera pro magnitudine praemii perexigua, deinde perfidia, qua alii afficiuntur ab improbis.

Quarum ad primam spectant quae iam supra iniquitatis testimonia afferri monui exempla eorum (37 ss.),

qui testamenta merentur
noctibus, in caelum quos evehit optima summi
nunc via processus, vetulae vesica beatae.

nec non mariti illius (55 ss.), cuius haec est unica virtus, ut sit

doctus spectare lacunar,
doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.

Accedit exemplum diligentissime hunc in modum inventum et descriptum (67 ss.)

signator falsi, qui se lautum atque beatum
exiguis tabulis et gemma fecerit uda:

praeclaras sane artes, insignem industriam atque haud indignam praemiis tantis!

Perfidiam in divitiis acquirendis iniuriamque aliis illatam cum iam leviter tetigerit satiricus, ubi de signatore falsi dixit, horridis coloribus optime compositis mirabili verborum brevitate ante oculos ponit v. 46 s.: qui pupillo tutor erat constitutus, non modo non tutatus est hereditatem, sed ipse avertit: nunc meretricio vitam tolerat pupillus, spoliator incedit magna stipante caterva. Similem in modum fictum est exemplum, quam ultimam nec levissimam indignationis atque saturae suae causam profert Iuvenalis v. 158 s.: ter in patruos veneno grassatum facit quendam, qui nunc — eorum certe divitiis arreptis — lectica fertur pulvinis mollissimis insidens. Et quo magis iram tibi excitet, addit satiricus, quanta insolentia et impudentia in publico versentur homines isti scelerati, quanta superbia sint sufflati, quantam ostentent luxuriam:

populum gregibus comitum premit hic spoliator
pupilli prostantis et hic damnatus inani
iudicio . . (46 ss.),

gestatur signator falsi

hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra
et multum referens de Maecenate supino (65 s.),

vehitur (158 s.) „pensilibus plumis“ atque illinc „despicit“ obviam euntes, qui patruos interemit[1]).

Haec de primo exemplorum genere. Secundo ea attribuo, quibus non, quem fructum ceperint scelesti, exponit, sed satis habet poeta describere, quanta perfidia aliis summam iniuriam ac vim intulerint. Huiusmodi exempla vix posse eam prae se ferre atrocitatem, quam modo supra percepimus, apparet; tamen ut his quoque satis acerbitatis insit, in eos poeta scelera commissa facit, qui quam maxime curae cordique esse debent auctori sceleris. Itaque non quemvis de nobilitate a delatore illo (v. 33 ss.) delatum esse vult, sed „amicum magnum“, patronum delatoris ipsius[2]); itaque novas nuptas et sponsas inducit turpissime fraudantes maritum vel sponsum ipso dulcissimo amoris tempore (77); acerbius iam inventum et diligentius omni perfidiae atque sceleris genere exornatum exemplum praebet matrona nobilis, quae maritum veneno tollit (v. 69 ss.): suis manibus vinum veneno mixtum marito porrigit; non quodvis vinum sumit, sed Calenum, molle Calenum, quo certius blanditiarum specie opprimat virum mulieris amore diligentiaque laetantem; expectat crudelissima, dum ille labore fatigatus

---

[1]) Eundem fortasse colorem v. 60 s. produnt, ubi describitur iuvenis prodigus pervolans „axe citato Flaminiam“ quam frequentatissimam fuisse editores adnotant Taciti loco (hist. II. 64) usi. Neque tamen Mayoris sententiam improbaverim, qui de sepulcris maiorum hac in via (Iuv. 1, 171) positis cogitavisse poetam putat conferens 8, 146; nam cum iam de maioribus a prole dehonestatis dixisset poeta, facile potuit fieri, ut eadem fere sententia ei in mentem veniret, quam postea 8, 146 fusius prosecutus est — ubi v. 148 idem legitur, quod 1, 62 („ipse rotam adstringit sufflamine mulio consul“ — „lora tenebat ipse . .“). Cf. pag. 30, adn. 23.

[2]) Quod exemplum tamen si mavis attribuere generi, quod modo tractavimus, non repugno; certe simul de bonis quoque damnati a delatore arreptis cogitavit poeta.

atque sitiens gaudet arripere unoque impetu epotare poculum, quod videt plenum vini dulcissimi. Neque contentus hoc uno scelere notavisse scelestam, ab eadem venefica eadem peste alias familias infici vult poeta (71 s.), ubi simul non omittit ea, quam supra cognovimus, ratione monere tanta impudentia scelere commisso inter homines versari mulieres nefarias, ut ne occulere quidem studeant sceleris vestigia [1]).

Iam ut de tertio genere dicam, restant exempla pauca, quae voluptatem intemperantiam atque luxuriam profusam castigant: Horatii vestigia pressisse Iuvenalem putares. At habes iam exemplum, quo cognoscas, quid de suo addiderit Iuvenalis argumentis traditis et pervulgatis: ubi de nimio ludendi amore loquitur (v. 88 ss.), non hoc solum castigat, quod patrimonia tota absumuntur alea, sed simul, quod tanta est iniquitas hominum, ut ne tunicam

---

[1]) Quo loco — ut alibi quoque — Plinii historias a fine Aufidii Bassi respexisse Iuvenalem Gercke contendit (Jahrb. f. class. Phil. von Fleckeisen, suppl. XXII. 1896, p. 191): „An die Stelle des Brudermörders Nero, der mit Hülfe der Locusta dem Britannicus Gift in sein Getränk giessen liess, ist die Gattenmörderin getreten; das ist ganz freie Komposition. Aber v. 71 setzt die Pointe voraus „Lucustae pro navata opera impunitatem praediaque ampla sed et discipulos dedit" (Suet. N. 33), und v. 72 die Bestattung des Vergifteten *τὸν δὲ Βρεταννικὸν φαρμάκῳ δολοφονήσας ὁ Ν., ἐπειδὴ πελιδνὸς ὑπὸ τοῦ φαρμάκου ἐγενήθη, γύψῳ ἔχρισεν. ὑετὸς δὲ διὰ τῆς ἀγορᾶς αὐτοῦ ἀγομένου πολὺς ὑγρᾶς ἔτι οὔσης τῆς γύψου ἐπιπεσὼν πᾶσαν αὐτὴν ἀπέκλυσεν, ὥστε τὸ δεινὸν μὴ μόνον ἀκούεσθαι ἀλλὰ καὶ ὁρᾶσθαι* (Dio 61, 7, 4)". Equidem ante quam historicos adisse satiricum crediderim, malo sequi Peteri opinionem (Literatur üb. d. röm. Kaiserzeit vol. II. p. 82 s.) „. . . . wenn die historischen Vorstellungen (Iuvenalis et historicorum) sich decken, so dürfen wir vermuten, dass sie aus dem Senat . . . ., vielleicht auch in die Rhetorenschulen eingedrungen waren, und die Juvenal vorschwebenden Bilder ihr entstammen". Certe qui sit color veneno interemptorum satis notum esse debebat rhetorum discipulo: cum de veneficio in scholis ageretur, sane et depingendo corpori interfecti opera dabatur; cf. ex. gr. Senecae contr. VI. 6 (adultera venefica) „profertur putre corpus et venenis tumens" (pag. 288, 29 K.); Quintiliani decl. mai. XV. pag. 280, 9 L.; „veneficium si arguas, oportet ostendas putre livoribus cadaver, inter efferentium manus fluens tabe corpus". Quod medium per populum a veneficis efferri maritos Iuvenalis dicit, optime congruere cum aliis impudentiae exemplis (46 s., 65 s.) iam monui; denique quod a venefica illa et alias feminas eodem flagitio imbui vult satiricus (ut rhetor facit Calpurnius Flaccus decl. 12 de veneficii rea), bene confertur cum aliis locis, ubi aut vitium latius serpens describitur aut homines quomodo per gradus

quidem servo frigore rigenti comparet [1]), qui sestertia centum perdere sustinet; ubi perstringit gulam insatiabilem (v. 84 s.), acriter opponit ferculis septem, quae sibi uni ponit gulosus, exiguam sordidamque sportulam clientium turbae concessam. Deest quidem hic iniquitatis color, ubi de aedificandi furore agitur (94); ne tamen unam solam querendi causam habeat, retinet poeta sententiam, qua iam inde a versu 87 usus erat: cum pristinis comparat quae nunc sunt tempora heu quam corrupta, notissimam et poetarum et philosophorum et rhetorum [2]) consuetudinem secutus. Neque uni quod iam superest argumento levissime tantum commemorato deesse credo iniquitatis colorem. Etenim cum dicat poeta (88):

quando maior avaritiae patuit sinus? . .

non tenacitatem sed acquirendi cupiditatem notare videtur; de hac autem vide quae exponuntur 14, 173 ss.

ad summum scelus vel dedecus perveniant: cf. 2, 78 ss, 166 ss.; 5, 171; 8, 150; 10, 318; 11, 46; 14 passim. His ceterum exercitationibus rhetorum atque toti Iuvenalis loco fortasse quae de morte Scipionis Aemiliani narrabantur subesse Fridericus Muenzer me monet: veneno eum interemptum, uxorem a matre sua impulsam necis auctorem Livius tradit (per. 59; Oros. V. 10, 10; App. I. 20), livoris — faucium quidem elisarum — meminit Velleius II. 4, 6, alii; maxima cum populi frequentia mortuum elatum esse Cicero commemorat (Cic. Lael. 11). — De reliquis locis ubi historicorum lectionem prodere Iuvenalem Gercke putat (p. 186 ss.), nolo agere; unum tantum nomino locum, quem a viro sagacissimo tam perperam intellectum esse miror. Dicit p. 189: „. . . der Dichter verrät uns selbst, dass er historische Werke kannte und an den neuen Erscheinungen Kritik, allerdings eine lächerliche Kritik übte . . . .“ scilicet 2, 102 („res memoranda novis annalibus atque recenti historia, speculum civilis sarcina belli“) vituperari Tacitum apparere: „allerdings hat „Tacitus das speculum des Otho nicht erwähnt“ (Weidner zu 2, 102): aber das ist gerade der Witz, dass er das nicht getan hat, was er nach Juvenals Ansicht hätte tun müssen („res memoranda“, nicht „memorata“).“ Vix mihi persuadeo non vidisse Gerckium — quem sequitur J. Duerr (die zeitgeschichtl. Beziehungen i. d. Satiren Juvenals, Progr. Cannstatt 1902) p. 9, licet eum non nominet — iocari satiricum atque cum mera ironia verba illa proferre: non magis ab historicis haec referri postulat quam a sculptore insculpi quae 6, 230 „memoranda“ ducit: „sic fiunt octo mariti quinque per autumnos, titulo res digna sepulcri“.

[1]) Bene dicit „reddere“: suo nempe iure sibi vindicat servus vestem anni tempori accommodatum; idem fere iniquitatis testimonium affert Hor. s. I. 2, 5 s.

[2]) Cf. ex. gr. Senecae contr. II. praef. 2 (p. 151, 8 K.) „dicebat . . . Fabianus fere dulces sententias et quotiens inciderat aliqua materia, quae convicium saeculi reciperet, inspirabat magno magis quam acri animo“; cf. contr. I. praef. 23 (p. 66, 31).

inde [ex avaritia] fere scelerum causae . . . .
178 . . . . . ; sed quae reverentia legum,
quis metus aut pudor est unquam properantis avari?

neque dubito, quin iam primae saturae locus hic eandem sententiam proditurus fuerit, si argumentum longius persequi voluisset satiricus [1]).

Haec sunt argumenta, quae indignationis suae causas affert Iuvenalis, breviter plurima ac presse prolata et descripta, ut postulat prooemii ratio. Sed cum in eum modum exempla invenisse satiricum viderimus, ut duae vel tres indignationis causae simul inessent, non mirum est, quod nonnumquam nimio singula persequendi atque illustrandi studio paulo latius quam saturae rationi convenit evagetur; quod quantum curae studiique attulerit criticorum nostrorum sagacitati et industriae non exponendum est iis, qui Ottonis Ribbeck librum „Der echte und der unechte Juvenal“ aut Teuffelii „Studien und Characteristiken“ [2] pag. 549 ss. inspexerunt. Iam opera nonnullorum virorum doctorum, e quibus prae ceteris nomino Vahlenum (in indice lect. aest. Berol. 1884 = Opusc. acad. I. 223 ss.) et Guilelmum Schulz (Hermes, XXI., 1886, p. 179 ss.) factum est, ut his in egressionibus certa quaedam poetae consuetudo disserendi agnoscatur, quae non delenda est corrigendo, sed intellegenda interpretando. Qui tamen viri docti, quippe quorum hoc plurimum interesset, ut redarguerent Ribbecki aliorumque suspiciones, offensiones, emendationes, suo iure iis potissimum locis operam dabant, quos a criticis temere temptari videbant, praetermissis nonnumquam locis, qui ipsi quoque non sine fructu accuratius inspiciuntur.

Incipiamus a duabus egrediendi causis saepius occurrentibus: solet poeta — neque Iuvenalis solus — et inter-

1) Vel si parsimoniam nimiam significari mavis tibi sumere, animadvertas quaeso et huic vitio iniquitatis colorem immisceri a Iuvenale: non solum quid mali avaro ipsi afferat avaritia docet ut Horatius, sed etiam, qua alios afficiat iniuria 14, 126: „servorum ventres modio castigat iniquo ipse quoque esuriens . . . .“

rumpere exemplorum seriem sententia generali inserta[1]) et illustrare exemplis sententiam vel universius aliquod aut obscurius dictum. Igitur versibus 73—6 complectitur, quae supra iam pluribus exemplis optimis eum docuisse vidimus, scil. improbissimum quemque maxime proficere: sententia acerbissima et egregia dicta[2]), sed haud apte ante finitam exemplorum seriem profusa.

Non colligit quidem plura, sed explicat unam vocem antecedentem[3]) sententia versus 48 „quid enim salvis infamia nummis“: scilicet ubi dicit de damnato „inani iudicio“ suo iure exponendum putat, quomodo hoc intellegi velit. Ad hanc porro sententiam illustrandam optime adiungi posse novum iniquitatis testimonium, quo antea uti non licuit, satirico in mentem venit:

exul ab octava Marius bibit et fruitur dis
iratis, at tu victrix provincia ploras. (39 s.)

Nam quia impudentiae atque acerbitatis augendae causa in publico[4]) sibi occurrere finxit hominem famosum illum — neque sane de oppidulo aliquo provinciae loquitur, sed de ipsa Roma (cf. v. 31 „quis . . tam patiens urbis . . .“) — non Marium exulem exempli loco affere potuit; sententiam vero universam quominus illustret hoc exemplo nihil obstat. Quod vel ultra finem propositum prosequitur: nam quod „victrix provincia plorat“ nihil affert argumenti, quo probetur nihil curare damnatos infamiam, dummodo pecuniam retineant; sed eodem amplificandae indignationis consilio satiricus provinciam algentem opponit expilatori divitiis

[1]) Cf. Vahlen, l. l. p. 6.

[2]) Animadvertendum iisdem verbis finiri v. 74 („. . . probitas laudatur et alget“), quibus Lucilii versus ille quo Ennium ridet 1190 M.: „[„sparsis hastis longis campus“ et horret] et alget“; in utroque versu pariter contra exspectationem occurrit illud „et alget“. Praetermisit locum etiam Kappelmacher, Studia Iuvenaliana, Diss. Vindob. 1903, p. 36, ubi colliguntur versus Iuvenalis similes Lucilianis. — Iisdem coloribus atque Iuvenalis divitias describit Martialis VI. 50, 4 „argentum, mensas, praedia solus emit“.

[3]) Cf. H. Sydow, de Iuvenalis arte compositionis, Diss. Hal. 1890, p. 26.

[4]) Ubi enim nisi in publico populum gregibus comitum premere potest homo ille? quod plane neglexit Gercke, Gött. gel. Anz. 1896, p. 979, ubi obloquitur Friedlaenderi adnotationi ad v. 47.

ereptis laetanti, quo paucis versibus ante pupillum prostantem opposuerat spoliatori lautissimo.

Simili ratione v. 61 digreditur, ubi v. „Automedon“ explicans addit „nam lora tenebat ipse“ — quasi novitate rei perturbatus vix percipere possis, quem Automedontem intellegas; etenim altera invehendi causa se obtulit satirico, cum maiorum opes a iuvene equis emendis et alendis consumptas faceret, scilicet, quod nobilem non pudet ipsum mulionis opere fungi — id quod fusius tractat 8, 146, ubi pariter maiorum fieri mentionem supra monui (pag. 16, adn. 1). Atque iam, cum essedo vel covinno vehentem sibi fingat, tertium satirici oculo obversatur, quo pariter gaudere solet nobilium progenies: non solus vehitur, amicam secum habet (v. 62): huic ut se probet, non Quiritibus, dat operam! Neque facere potest Iuvenalis, quin illam quoque in transcursu perstringat: velut Meviam venatricem et eam veste indecora indutam describit. Haec vero omnia, quamquam non abhorrent a satura, tamen abduxisse nos paulum a re proposita apparet, siquidem recte intellexi non ipsam vitam dissolutam iuvenis castigare voluisse poetam, sed hoc iniquitatis testimonium afferre, quod, qui bona a maioribus accepta dissipavit, in locum ample dotatum ascensurus est.

Iam accedamus ad egressionem longe maximam neque certe saturae rationi accommodatam v. 97—146. Atque a versu 88, cum nimium voluptati indulgeri Iuvenalis quereretur, tria illa exempla attulit aleatoris, aedificatoris, ganeonis, et ita quidem, ut — quod est eius inventionis proprium — ganeoni sicut aleatori opponeret quos inopia atque iniuria premi sinerent abundantes opibus ipsi. Ita v. 95 clientes inducit, quibus sportula exigua porrigitur [1]. Iam cum sportulae mentio esset facta, alterum malignitatis avaritiaeque documentum addendum visum est: vel parvam illam sportulam non accipies, nisi antea accurate ac moleste inspicien-

[1]) Nescio, cur Friedlaender ad v. 96 adnotandum censuerit „sedere sich in einer niedrigen Lage befinden“: ut loculi comitantur (1, 89), ita sportula sedet, sensu proprio verbi; cf. calicem . . . poscentem sulpura (5, 48), pensionem clamantem (9, 63), squillam convivas despicientem (5, 82).

dum te praebueris (97—9), haud aliter ac si summo damno affici possit patronus, si qui improbulus admittatur. Neque quam semel tetigerat materiam sibi gratissimam in medio relinquere sustinet Iuvenalis. Nam dum sibi — re ipsa expertus — cogitatione fingit clientes pro foribus expectantes, praeconem singulos evocantem, evocatum quemque progredientem, ut sportulam accipiat[1]), ecce se offert oculis lustrantibus nobilis quidam ac dives pauperum turbae immixtus: habet iam alteram indignationis causam: o spectaculum mirum! nobiles pauperum aemulos adstare divitis limini sportulam centum quadrantium petentes! (99—101). Sed ante quam pertractat argumentum modo arreptum, aliud multo gravius uberiusque occurrit: cum nobilissimos antiquissimo genere („Troiugenae") natos inducat, memor eius loci (v. 24 s.), quo iisdem patriciis tonsorem fortuna elatum opposuerat, hic quoque libertinum praedivitem et ipsum sportulae intentum adesse fingit, quo fusius persequi possit quam in initio saturae iam tetigerat arrogantiam insolentem hominum novorum. Et videas quaeso, in quantum irae suae indulgeat.

Primum talia suo ipsius ore loquentem facit libertinum, quae re vera locuturum fuisse huius condicionis hominem prorsus nemo est, qui credat. Poetae nempe indignabundi, non libertini locum defendentis sunt verba[2]):

„ . . quamvis
natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae
arguerint, licet ipse negem" (103 ss.)

Potuit inducere Syrum contendentem: „Prior aderam, prior admittendus sum, quamvis natus ad Euphratem, nam ubi sim natus, nil ad hoc attinet": hoc iam sat grave insolentiae documentum ei, qui loco simillimo (3, 81) clamat:

. . . me prior ille
signabit . . . . .
advectus Romam quo pruna et cottona vento?

[1]) Quod tanta vi animo complectitur, ut ipse salutationi interesse sibi videatur: hinc fluxit illud „nobiscum" v. 101. Aliter interpretatur Friedlaender.
[2]) Cf. Schulz, l. l. p. 181.

Sed nimio irridendi amore captus aliud ludibrium subnectens alii non satis cavit, ne inter se repugnarent: nam dissimulantem facit v. 105 libertum, unde venerit atque emerserit („licet ipse negem"), eundem vero modo ante (v. 101 „natus ad Euphraten") ipsum patriam nominantem inducit, utrumque sane e certa morum cognitione fictum, cum — prout fert tempus — aut celare originem humilem aut iactare soleant *νεόπλουτοι*, at non simul erat proferendum; neque illud „molles quod in aure fenestrae arguerint, licet ipse negem" per se male inventum est: nil agunt dissimulantes, habent in se, quo se prodant ipsi homines isti [1]); at non loquentis personae est accommodatum: omnes nimirum quos argumentum suppeditat colores adhibere picturae studet poeta — quod postea identidem aliis exemplis videbimus (cf. p. 38, adn. 3) — vel neglecta totius loci ratione. Multo aptiora huic disserendi et castigandi modo neque tamen minus acerba versus sequentes afferunt [2]). Nempe ut iam in exemplis tonsoris et Crispini supra (v. 24 ss.) allatis opposuerat, qui antea fuissent homines, et, quo nunc pervenissent, ita v. 105 bene transit ad describendas libertini Syrii divitias: iam optime ipsum facit loquentem magnaque voce gloriantem sibi quotannis redire e tabernis paucis equitum ordinis censum [3]) et possidere se plus quam ditissimum quemque priorum temporum; atque quo magis indigneris, quod tantis opibus homo vilissimus et nequissimus fruitur, eadem ratione, qua in tonsoris exemplo patriciorum mentionem fecerat, Valerii Messallae Corvini nobilissimi condicionem in comparationem vocat (107):

„. . . Laurenti custodit in agro
conductas Corvinus oves";

ubi non casu factum esse credo, ut libertino, qui e tabernis sibi pecunias fecit, opponatur nobilis, qui rei pecuariae atque

1) Simili ratione, licet non eodem cum sale, inaurium cicatrices Iuvenalis digito monstrat, qua stigmata Martialis II. 29.

2) „Sed" (v. 105) tamen poetae, non libertini est.

3) Cf. M. Bonnet, Rev. de philologie 1906, 58 ss.

multo honestiori [1]) operam dedit: ne pauper quidem patricius exercere sustinet, quae ordinem dedecere possint.

Et iam tetigimus alterum, quod parum considerate hoc loco afferri a satirico monendum puto. Etenim tanta ira in homines istos fortuna elatos invehitur, ut, quo sententiarum cursu in eos inciderit, plane obliviscatur. Nimirum ubi Troiugenas sportulam petentes induxit, ut eos pauperum — ni omnia fallunt — aemulos carperet, homo ille recentibus divitiis sufflatus in mentem ei venit; at iam de nobilium cum pauperibus contentione ne verbum quidem: omnes vires consumit in opponendis libertino et nobilibus, atque adeo non sibi constat, ut nobiles, quos modo ob avaritiam castigaturus videbatur, nunc acerrime defendat: „expectent ergo tribuni, vincant divitiae"; de „sacro honore" loquitur, cum paulo ante Troiugenas per cavillationem eos appellaverit; summam iniuriam praetoribus tribunisque inferri queritur et indignatur idem, qui castigandi causa eos limini potentium adstantes induxerat, modo ut prosequatur novum iniquitatis exemplum, in quod inciderat.

Quam egressionem de divitiarum maiestate iniqua cum generali sententia — ut solet — finiret, tam bene illud „sanctissima maiestas" sibi attulisse videbatur, ut quam breviter tetigerat sententiam longius prosequeretur, praesertim cum adesset occasio irridendi paululum religiones: ridiculum certe, quod — si verum quaerimus — maiore obsequio maioribusque honoribus homines ea numina colunt, quibus neque templa neque aras statuerunt (113—116).

Revertitur tandem poeta ad nobiles, neque tamen ea quam exspectaveris ratione argumento utitur. Nam cum opponere posset — id quod ipse fecit 3, 126 ss. et Martialis X. 10., — clientem pauperem neglectum et salutatorem nobilem gratissimum patrono atque docere quod Martialis (X. 10, 12) queritur:

Dimisit nostras purpura vestra togas,

[1]) Cf. Marquardt, Privatleben d. Römer [2] p. 401 s; Nissen, Ital. Landeskunde II. p. 92.

satis habuit eorum exemplo illustrare, quam iure pauperes sportulae intenti essent[1]), cum magistratus summi non neglegerent centum quadrantes (117—20). Quem nobilium furorem perversum[2]) vividis coloribus depingit 120 ss.: cum iam hoc satis grave avaritiae documentum esse possit, quod uxor quoque salutandi gratia somnum dulcissimum rumpit, ea quam amat amplificandi ratione aegram eam esse satiricus vult; quod cum nondum sufficere videatur, vel parturientem circumduci facit. Ea vero quae finit salutationis descriptionem narratiuncula (123—6) lepidissime quidem inventa et narrata[3]), cum non tam avaritiam odiosam quam fraudem quandam iocosam illustret, minus indignationem odiumque salutatoris improbi excitat quam risum gaudiumque patroni decepti atque paulum deflectit a proposito. Iam cum satis hac de perversitate morum dixerit poeta, nondum tamen —

[1]) Aliter Friedlaenderum intellexisse video (adn. ad v. 117): „Es gab also Männer von Stande, die anstatt die sportula ihren Clienten zu überlassen, schmutzig genug waren, sie für sich zu behalten." At concedas licet viro doctissimo re vera nobilibus quoque salutatoribus sportulam datam esse — quod mihi tamen non constat —, in complures partes perexiguas eam dividi necesse erat, ut clientibus comitantibus suum cuique redderetur; quis vero credat poetae hasce sportulae particulas solas („hinc" v. 119) clientibus redire? Immo in eundem modum fictum est enuntiatum, quo 2, 65 „sed quid non facient alii, cum tu multicia sumas . . .?"; 4, 28 ss. „quales . . . epulas ipsum glutisse putamus induperatorem, cum tot sestertia . . . ructarit scurra Palati?"; 6, 41 „quid fieri non posse putes, si iungitur ulla Ursidio?" Cf. pag. 41 ad v. 137-46.

[2]) Haud sine consilio arte coniunguntur verba sibi repugnantia fere „densissima centum quadrantes lectica (petit)".

[3]) Dialogum cognovit Radermacher (mus. Rhen. LX. 1905, p. 245), neque tamen — ut scholiasta editoresque nonnulli qui idem senserunt — verba „profer, Galla, caput" dispensatori vel patrono dat — quod recte cavit —, sed illud „noli vexare, quiescet", primum quia Buecheleri lectione servata „effectum fraudis ignoramus", deinde quia futurum „quiescet" melius intellegi possit „quasi imperantis auctoritate enuntiatum". At, ni fallor, hae ipsae sunt fraudulenti artes, quod eam, qua caput proferre Gallam absentem iusserat audiciam explet responso pari audacia ficto et prolato. Finge modo in scena rem agi: ecce, homo vafer, cum frustra Gallam appellaverit, ipse, quo plus fidem verbis faciat, lecticam digito pulsat, clausas velisque adopertas fenestras introspicit; tum redit suspensis passibus et voce summissa explicat, cur non responderit Galla. Quod non audimus, an re vera decipiatur dispensator necne, mihi quidem non molestum: non historiam scribit poeta, sed ridicule dictum aut factum profert. De futuro denique illo conferas Draegeri „Historische Syntax" I. p. 256 („Futurum der Wahrscheinlichkeit").

quantum equidem intellego — salutatores illos nobiles dimittit; etenim quae 127—9 narrantur

ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum:
sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo
atque triumphales . . . . .

ad illos pertinere puto, non ad clientes pauperes dominum in forum euntem comitantes, ut interpretantur Ruperti et Mayor (tacet Friedlaender). Nam primum vide, quam acerbe dictum illud „pulchro" nunc appareat, quam acriter oppositum illud „sportula, deinde forum": idem nempe, quem modo pro foribus divitis nescio cuius stare sportulamque centum quadrantium quasi clientem petere non puduit, nunc in foro ius dicit („da praetori . . ." 101), sedet iudex ante maiorum suorum statuas triumphales neque erubescit sportulae acceptae sibi conscius! Eodem igitur modo statuarum illarum hic mentio fit, quo 8, 143 satiricus

in templis quae fecit avus, statuamque parentis
ante triumphalem

peccantem facit adulescentem nobilem; cf. ib. 146 s. et 10 s. Deinde multo commodius transitur ad clientes pauperes v. 132, ubi nimiis interpretandi artibus uti necesse est iis, qui clientes dominum in forum deduxisse volunt: quos si reducto videlicet domino abscedere vestibulo intellegi voluisset poeta, quoquo modo hoc significandum certe erat. Nunc vero, ubi de nobilibus illis salutatoribus satis dixit poeta, apte transit ad pauperes et, quid hi faciant salutatione finita, exponit. Concedendum nimis breviter atque obscure expressisse poetam versuum 127 ss. sententiam; quod tamen quomodo accidisset, recte Friedlaender p. 50 et in adnotatione docuit. Nempe dum sibi ante oculos ponit forum Augustum, iam cum incideret in statuam Apollinis, non reticere potuit facete dictum de statua illa[1]); ubi vero triumphalium mentionem fecit, apta se obtulit occasio invehendi in peregrinum quendam ad

[1]) Similiter facere non potuit, quin de Concordia illud obscure nobis, facete fortasse Romanis dictum afferret (116); conferas Iasonem mercatorem 6, 153, Castorem vigilem 14, 260, Camenarum silvam mendicantem 3, 16; Martialis II. 64, 8 loquitur de Marsya causidico, de quo iam Horatius sat. I. 6, 120 dixerat „qui se voltum ferre negat Noviorum posse minoris".

summos honores provectum, hominum genus, quod Iuvenali inprimis invisum esse iam duobus exemplis (vv. 24 ss.; 102 ss.) vidimus. Quem Aegyptium dum odio maximo persequitur, satis iam materiae sibi suppeditasse nobiles illi eorumque officia videntur; redit igitur ad clientes pauperes et simul, quo sententiarum cursu eorum mentionem facere coeperit (v. 95), reminiscitur: unde orsa est tota egressio, eam rem nunc fusius tractat, et ita quidem, ut iam manifestior reddatur iniquitas: non praetermittit igitur monere lassos esse clientes (132) — accurrendo nimirum nec non stando —, non nisi veteres adesse fingit — non tam aetate veteres opinor quam officio —: iam ergo graviter peccat dominus, quod tam bene de se meritos cenae non adhibet. Quod ut iam gravius appareat, acriter opponitur clientium victus miser et domini luxuria atque abundantia rerum: caulibus illi famem depellunt, delicias terrarum mariumque hic ligurrit; dum („interea“ 135) urbem pererrant illi — quibus, antequam edant, emendus est caulis, parandum lignum, coquenda cena —, huic iam fercula apponuntur, et — quae est eius voracitas — talia quidem, quibus facile tota clientium turba satiari possit (140 s.); neque locus deerat, quo collocari poterant illi: solus iacet in triclinio vacuis lectis reliquis.

Ubi cum de toris loquatur, etiam mensae atque alterius luxuriae apte mentionem fieri posse satirico occurrit: perstringit igitur in transcursu, quem sat. 11, 120 ss. fusius tractat, insanum mensarum pretiosarum luxum, brevissime singula tangens, propter quae tanti aestimantur: conspiciuntur enim lineamenta pulchra, orbes lati, mensae antiquae nec non mensarum numerus (Marquardt, Privatleben 723). Neque enim una alterave contenti sunt homines illi lautissimi, sed quam plurimas coemunt: quo amentius et improbius faciunt, qui convivis non admissis una tantum mensa utuntur. Quo loco retineri non potest poeta, quin tertium quoddam uno saltem verbo tangat: belle scilicet opponi poterant huic mensae uni pecuniae ingentes, quae in ea abligurriuntur (v. 138); neque illud casu factum, quod „patrimonia“ poeta dicit: paternas opes dissipari acerbitatis augendae

gratia nonnumqam (1, 59; 6, 355; 11, 17. 38) facit satiricus. Haec vero levissime tangere satis habet, cum in gulam illam pluribus invehendum censeat; quod argumentum tanto studio prosequitur, ut vel longe ultra fines saturae positos progrediatur nec non exstinguat fere lectoris indignationem, quam ut illi quoque moveret hac satura inprimis sibi proposuerat.

Namque cum adhuc Iuvenalem hunc in modum legentis indignationem excitare studere viderimus, ut demonstraret iam eo iniquitatis ventum esse, ut vel praemia improbis et scelestis proposita essent, nunc haud feliciter praeter omnem exspectationem de poena dicit, qua afficiantur homines immodici:

poena tamen praesens, cum tu deponis amictus
turgidus et crudum pavonem in balnea portas (142 ss.).

Iam quid indignemur, quid irascamur? quid iam satura tua opus est? iam bene est, bene se habet, si meritas poenas luunt vitiosi! — Certe et hoc saturae convenit interdum docere expressis verbis, quae petenda, quae fugienda sint, monere, quantum boni hoc, quantum mali illud afferat, deterrere homines depingendo singula quae vitium consequi solent; sed in satura prima sicut in ceteris priorum librorum non hoc diatribarum modo disserendum duxit Iuvenalis, quippe qui non tam id ageret, ut dehortaretur vitiosos atque emendaret, quam ut notaret improbos scelestosque acerrimis coloribus atque irae omnium obiceret. Etenim, ut demonstraret suo iure se saturae operam dare, docendum erat non quae mala malum exspectarent, sed quae bona — his quidem temporibus —, non quam iuste sive homines sive natura in vitiosos animadverteret, sed quam iniqua lege viveretur. Excessit ergo poeta fines, quos ipse saturae suae statuerat; quod tamen quomodo factum sit, facile intellegitur.

Scilicet qui monent auctores, ut luxuriam intemperantiamque vites, suo iure depingere solent, quantum malorum secum afferat vita immodica: cf. ex. gr. Hor. sat. II. 2, 73 ss.; Pers. 3, 98; Sen. ep. 95, 15 ss.; Luciani Saturn. 28, Cyn. 9): cui sententiarum cursui usitatissimo eo libentius indulsit Iuvenalis, quo magis gaudebat — naturali quodam desiderio

ductus — interrumpere aliquando scelerum vitiorumque inultorum enumerationem atque plane ex animi sui sententia non sine oblectatione magna (cf. 13, 247 ss.) sibi legentibusque satisfacere depingenda in uno saltem exemplo poena, quam omnes scelestos daturos esse integri probique sperant.

Neque hoc solo loco Iuvenali talia acciderunt hac in satura: eodem modo iam v. 40 ss. a saturae consilio aberraverat, ubi, cum eos plurimum proficere questus esset, qui vetulis virosis satisfaciunt, perrexit:

accipiat sane mercedem sanguinis et sic
palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem;

nempe dum sibi ante oculos ponit homines spurcos, simul et vultus illius morbo vitioque pallentis meminit neque retineri potest, quin eius quoque mentionem faciat; qua in nota morbi illustranda et Vergilii versum (Aen. II. 379 s.) laudare licuit et — ubi minime exspectas — festive aliquod dictum affere comparationis figura commoda [1]) adhibita:

aut Lugudunensem rhetor dicturus ad aram.

Ceterum quam in hoc exemplo excolenda invenimus diligentiam, et locus ille de morte gulosi (142 ss.) praebet: ubi de morte dictum est, haud a re est dicere de testamento, de funere; atque iam nova se offert materia contrariorum sectatori: bene acriterque demonstrari potuit, quam contraria naturae vel post mortem pateretur is, qui vixit contra naturam: haud tristi vultu nuntius de morte excipitur; non lugent qui funus ducunt, sed gaudent; gaudent funere ii ipsi, quos maxima tristitia affectos crederes, amici; non laudant amicum mortuum, sed odio iraque persequuntur.

[1]) Cf. 1, 80; 3, 238; 6, 338; 10, 219.

Sexus rationem perversam et hominum rerumque iniquitatem inprimis castigandas Iuvenalem sibi proposuisse, his materiae generibus omnia fere exempla in prima satura allata tribui posse vidimus. Atque in saturis sequentibus utrumque argumentum tanto studio fusius prosecutus est[1], ut ex octo saturis, quas praeter primam libris I.—III. tribuit, duae tantum (4 et 8) non huc spectarent: illud tractavit sat 2, 9, 6 (talia quidem sunt quae mulieribus maxime crimini dantur), hoc sat. 3, 5, 7; in ceteris demum — quibus octavam addas — libris propius ad diatribarum rationem sese applicavit[2]. Illarum de sordibus atque obscoenitatibus quod accuratius agere nolo, non miraberis; his potius operam dabo, in quibus iniqua hominum proborum tractatio depingitur. Et primum tertiam inspiciamus ut amplissimam ita plurima iniquitatis genera continentem, tum quintam, ubi quam in singulis rebus inveniendis adhibuerit diligentiam poeta bene cognoscere licet.

[1]) Non me fugit ultimam fortasse (at cf. Gercke l. l. p. 982) omnium primi libri saturarum conscriptam esse quam primam posuit poeta editurus novae artis suae emolumenta (Friedl. pag. 7). Attamen cum ex eadem animi condicione primam illam eum invenisse appareat, qua in reliquis inveniendis usus est, et fundamenta quasi poeseos suae in illa locavisse videatur, haud verebor ad primam referre aliarum argumenta locosque.

[2]) Has ad saturas posteriores solas pertinet, quod contendit Reinoldus Schuetze, Iuvenalis ethicus, Diss. Gryph. 1905, p. 20: „Ut Lucretius Epicuri dogmata poetica oratione docebat, ita Iuvenalis philosophiae vulgaris et laudes virtutum et vitiorum vituperationes versificabat“; atque quos e saturis prioribus attulit vir diligentissimus locos, quibus demonstraret meras esse diatribas Iuvenalis opera, multi perperam, poeta male intellecto, afferuntur (cf. Friedlaender, Deutsche Litt. Ztg. 1905, p. 2860).

II.

De satura tertia.

Quae incommoda urbis cotidie perferenda essent Romae degentibus, primus — quantum video — Horatius in satura[1]) tractandum suscepit; qui sat. II. 6, 23 ss. et ep. II. 2, 65 ss., ut vitam rusticam quiete gratissima plenam illustraret, urbis tumultum ac strepitum depinxit: mane surgendum est, amicorum rebus consulendum, per totam urbem currendum, cum turba commeantium luctandum, quibuscumque viarum molestiis et periculis subeundum; tot inter labores, officia, perturbationes, quis carminibus scribendis operam dare potest (ep. II. 2, 65; 76 ss.), quis „nunc veterum libris nunc somno et inertibus horis ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?" (sat. II. 6, 61 s.). Quae quia ruri agere vacat, quia ruri licet „naturae convenienter" vivere (ep. I. 10, 12), iucunditate integrae naturae perfrui (15) paucisque contentum beatam vitam agere (ep. I. 14, 35; sat. II. 6, 65 ss.), ideo Horatio rus urbi praeferendum videtur.

Iam qui proximus hac de re egit poeta satirici generis, Martialis[2]), alia urbis incommoda, alias ruris amoenitates

[1]) Communem locum fuisse in philosophorum popularium libris vitae rusticae laudationem recte adnotat Schuetze, p. 90 adn. 4 (cf. E. Rohde, der griech. Roman p. 508; C. Weber, Leipziger Studien 10 (1887), p. 123 s., Kiesslingi-Heinzei adnotationem ad Hor. ep. I. 10, 12 s.). At iam optimo exemplo cognoscere licet recepisse quidem satiricos Romanos argumenta a philosophis illis tractata, sed saepius commutavisse plane recepta neque idem esse saturam atque diatribam. De urbis incommodis scilicet illi ne verbum fere quidem, cum Horatius iam pluribus versibus, Iuvenalis vero tota fere satura in ea inveheretur neque tam vitam rusticam laudaret quam urbanam castigaret. — In Lucilii fragmentis nihil huiusmodi invenitur, nisi in extrema libri XXVI. satura (cf. 676. 677) talia tangi putas. Quod „secuit Lucilius urbem" „populumque tributim" (Pers. 1, 115 = 1261 M.; Hor. s. II. 1, 69 = 1263), id fecisse videtur, ut mores populi Romani castigaret, non urbanae vitae molestias. Notandum fortasse derisisse Lucilium rusticam cenam in libro V. (193 M.).

[2]) Quem hoc nomine appellari non miraberis; licet aliam scribendi formam secutus sit, tamen quod ad ingenium inventionemque attinet satiricis attribuendus est, nec sine magno fructu cum iis confertur. — Persii versus 6, 12 ss. praeter illud „securus vulgi" nil fere in urbanam vitam dictum praebent.

commemorat. Depingit sane et ipse strepitum diurnum et nocturnum nec non officia molesta, cum ruri sit somnus, quies, toga nulla (I. 49, 31 ss,; X. 70; XII. 18 (ad Iuvenalem); XII. 57); sed iam illud quoque queritur, quod sumptuosa Romae vita, quod magno omnia constant, cum ruri aut in municipiis vel parvis opibus abundanter vivi possit (X. 96; cf. IV. 66); tum longe diversam esse pauperis divitisque urbani condicionem monere non praetermittit (XII. 57); iam vero III. 38 et IV. 5 (cf. VI. 50) verbis haud ambiguis clamat Romae pauperem proficere non posse, nisi quem turpissimum quaestum exercere non pudeat:

Vir bonus et pauper linguaque et pectore verus,
Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis?

His novis coloribus urbis mala depinxit Martialis.

Noverat certe Iuvenalis et Horatii et Martialis locos, neque, utrum potissimum sequeretur, dubius erat: quod ipse (sat. 1, 74) contenderat „probitas laudatur et alget", quam ipse in satura prima totiens descripsit iniquitatem non potuit melius illustrare quam argumento ab Horatio tradito eum in modum commutato, quo Martialis in duobus epigrammatibus illis (III. 38; IV. 5) rem tractaverat.

Hoc igitur in materia colligenda et tractanda sequitur consilium, ut iniuria probis et pauperibus illata quam maxime et quam saepissime appareat; hanc ut ante oculos ponat, novas nonnullas inducit, sed et ab Horatio commemoratas urbis molestias hoc iniquitatis colore variat.

Narrat igitur Iuvenalis eodem modo, quo Horatius in altero saturarum libro uti solebat, quo Lucilius fortasse simile argumentum tractaverat satura tertia libri XXVI. (cf. Marxium ad v. 676), quae sibi conquestus sit Umbricius quidam Roma Cumas emigrans, lepida sane forma usus et quae verisimiliora redderet minusque amplificata satirici artibus quae exponuntur [1]); eodem consilio factum esse crediderim, ut in

[1]) Alio consilio in satura nona Naevolum hominem desperatum secum collocutum inducit; ubi duo simul vitia divitum, avaritiam et libidinem turpissimam, perstringenda sibi ita comparat neque tamen ipse quaestum illum spurcum defendere cogitur.

Egeriae deae luco speluncaque secum collocutum esse amicum diligenter („hic ubi" v. 12 = „hic tunc" v. 21) adnotaret poeta qui alias minime curare solet talia (cf. Friedlaenderum pag. 189): scilicet nonnihil auctoritatis et gravitatis verbis Umbricii eo additur, quod eodem loco sunt dicta, ubi Egeria consuluit Numae.

Qua in re aliquantum referebat, quemnam cedentem Roma urbisque iniquitatem conquerentem faceret; qui si Tuccii Martialis [1]) similis esset, non multos opinor moveret. Honestissimum ergo inducit hominem et talem quidem, ut, quae est eius condicio, urbe eum excedere valde mireris: vetere iam familiarique amicitia cum poeta coniunctus est (v. 1; 318 ss.), poeseos eius fautor haud indiligens (322); honestum semper quaestum sibi comparavit (21) multosque per annos fidelissime officia patrono praestitit (123); iam nunc senex crinibus albis (26) [2]) aliam sibi quaerit sedem; neque peregrinus quamlibet urbem externi cuiusdam populi alia commutat, sed patria cedit (29) qui Romae se natum educatumque non sine iactatione gloriatur (84): talem suo iure urbe exire si ipse poeta amicus concedere debet [3]) (1 ss.), quis non gravissimas easque indignissimas causas subesse sibi persuadebit, quas cognoscere operae pretium erit?

Quarum causarum duo sunt genera: alterum ex hominum malitia fluxit, alterum e rerum maxime periculis, animo potissimum dolores illud, corpori molestias hoc afferens; illud vv. 21—4 adumbratum usque ad v. 189 tractatur, hoc vv. 7-9 breviter commemoratum altera saturae parte explicatur [4]).

Incipit Iuvenalis ab i n d i g n i s q u a e s t u s c o n d i c i o n i b u s. Novis igitur exemplis docendum repetit, quod in prima satura clamaverat (73 ss.):

---

1) III. 14 Romam petebat esuritor Tuccius Profectus ex Hispania. Occurrit illi sportularum fabula: A ponte rediit Mulvio.

2) Eundem colorem induxerat Martialis X. 96: „Saepe loquar nimium gentes quod, Avite, remotas, Miraris, L a t i a f a c t u s i n u r b e s e n e x, . . ."

3) Attentos fieri auditores, si „magna, nova, incredibilia" agi videntur (Cic. de inv. I. 23; ad Her. I. 7; Quint. IV. 1, 33) bene meminit rhetorum discipulus.

4) 21 ss.: „artibus . . . honestis nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum"; 7 ss.: „. . . . horrere incendia, lapsus tectorum assiduos ac mille pericula saevae urbis . . ."; cf. Sydow l. l. p. 14.

aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
si vis esse aliquid. probitas laudatur et alget,
criminibus debent hortos e. q. s.

exemplis vero non ad eam quam exspectaveris atrocitatem fictis et vix Martialis — quem in quinta satura longe superari videbimus — in eadem re acerbitatem aequantibus; etenim quae se, ut vitam toleret, facturum negat Umbricius, cum ab aliis fiant (31—57), illiberalia certe sunt et sordida plurima, sed non scelesta et nefaria.

Quamquam etiam his in exemplis mitioris notae aliquantum acerbiorem me sensisse satiricum arbitror neque assentiri possum Gerckio, qui (l. l. p. 980) contendit: „In Satire 3 werden unter den armen Schluckern, die sich durch Übernahme der unangenehmsten Arbeiten mühsam ihren Lebensunterhalt verdienen, ehemalige umherziehende Musikanten aufgeführt, die reich geworden jetzt selbst Spiele geben. Was sollen die hier? Nicht einmal der Gedanke „bisweilen führen aber die niederen Gewerbe zu Reichtum, z. B. Musikanten u. s. w.“ hätte hier Platz . . . .“ Immo hoc ipsum maxime probare voluit satiricus, quod idem intellexit scholiasta adnotans ad v. 29 „ . . . malis artibus viventes homines vult intellegi, qui ex sordidis rebus divites sunt facti.“ Nempe qui adeo contraria sectatur poeta tantumque consumit argutiarum in iniuriis indagandis non contentus est opponere honestis artibus inhonestas quae neque ipsae fructum ferunt, sed eo quaestuosiores eas demonstrare studet, quo sunt inhonestiores. Atque re vera non ut misericordia pauperum, sed ut odio sordide ditescentium caperemur[1]), negotia illa v. 31—40 a poeta electa sunt: de architectorum spe haud mala videas Martialis epigr. V. 56, 11; libitinarium qui „sestertium suum vidit decies“ Petronius commemorat c. 38, 12 ss.; iam vero de praeconum coactorumque quaestu fructuosissimo lepidum praebet testimonium Martialis VI. 8 (cf. V. 56, 11;

[1]) Ubi tamen ne Friedlaenderum secutus — quos praeclaros huius rei testes afferri posse crederes — eos „quis facile est . . . conducere . . . portus“ portitores ducas, Rostowzew iure monet (Gesch. d. Staatspacht in d. röm. Kaiserzeit, Philologus, Suppl. IX., 1904, p. 375, adn. 82).

Petr. 46, 7; Iuv. 3, 157): his igitur artibus inhonestis — si Umbricio credis — et spurcis esse in urbe locum, esse fructum amplissimum si vidimus, quis non moleste ferat, quis non iniquitatis summae esse putet, quis non bene monuisse satiricum concedat? Et in uno saltem exemplo iam clarius, quid maxime premat, exponit vv. 34—40, ubi cornicines qui antea fuerunt nunc gladiatoria munera edentes inducit, haud male eo ipso loco [1]) recentibus opibus gloriantes eos faciens, quo antea humillimis officiis erant functi, ut eo melius cognoscatur, quantam rerum commutationem nescio quis quaestus spurcus iis attulerit. Ubi bene intellegere potes — vel si de fortunae ioco [2]) illud non addidisset —, quantum poetae interfuerit docere ad divitias summas nunc pervenire Romae infima de faece hominibus licere; etenim qua ratione profecerint, omittit dicere, dummodo, quo pervenerint, exponat. Potes tamen coniecturam facere ex iis, quae a ludis reversos eos exercere poeta vult: nitidi sane decorique haud immemores divites, quos, dum imperatorum praetorumve aemuli ludos magnificos populo largiuntur, foedissima quaque e re pecuniam facere non pudet! Quod ut quam acerrime demonstret, statim ex ipsis ludis redeuntes latrinas conducendas a magistratu petere satiricus vult [3]).

Verum quam in his inhonesti quaestus exemplis cognovisse mihi visus sum inveniendi ratio iam inest in altera artium Romae vigentium enumeratione (41—54); ubi non permagna indignorum praemia neque foeditatem quaestus premit, sed, quam ridicula viroque ingenuo indigna aut quam improba nec non nefaria sint negotia illa, exponere studet poeta, eadem forma ironica usus, qua Martialis IV. 5. In tractandis

---

1) Nisi quod eodem aggravandi studio ductus nunc Romae ludos ab iis edi vult, cum antea in municipiorum tantum arenis versati sint. Eandem opponendi rationem haud malam invenies 5, 132.

2) Simillime Lucianus Nigr. 20 *μαρτυρομένης τῆς Τύχης παίζειν τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα*. Ceterum in loco Vergilii a Friedlaendero ad v. 39 laudato legendum est Aen. I. 342 neque „vestigia rerum“ sed „fastigia“.

3) Non recte poetam incusat Gercke p. 980: „Ganz thöricht ist es . . . ., sie die Pachtung unmittelbar nach der Veranstaltung der Gladiatorenspiele vornehmen zu lassen. J. hat . . . vergessen, das munera edere des Reichtums und den unsaubern Erwerb grösster Armut in verschiedene Zeiten zu verlegen.“

exemplis sicut in prima satura perversitati illustrandae operam dat: malum igitur librum ut laudet[1]), patris funus ut promittat, nuptae amatori ut lenocinetur a se postulari, furandi peritos solos a praefecto provinciam administraturo adhiberi vult; iam vero in sententiis generalibus, quas suo more enumerationi addit, tantum indulget huic studio, ut quater eandem rem proferat: „quis nunc diligitur nisi conscius...“, „nil conferet.. participem qui te secreti fecit honesti“, „carus erit Verri[2]), qui Verrem ... accusare potest“, „... ut a magno semper timearis amico“. In una tamen re nimis gravia vidisse Friedlaenderum iudico, qui Rupertii sententiam secutus de veneficio agi adnotat ad v. 44 „ranarum viscera numquam inspexi“. Concedo id agi facile crediturum esse qui meminerit versus 1, 70 et 6, 659 („res agitur tenui pulmone rubetae“); optimam praeterea acerbitatis gradationem in vv. 42—5 ita fieri video; at recte iam Heinrich monuit „So wird inspicere nicht gesagt“, quod verbum sensu proprio de extispicio[3]) intellegendum esse cum per se sit verisimilius, comprobatur verbo „viscera“ addito (cf. 6, 551[4]). Neque cum mentiri se posse neget Umbricius (41), talia officia significari putaverim, qualia Martialis IV. 5, 4 et ipse Iuvenalis 7, 13 et 14, 218 commemorant, aut quae Petronii (c. 116, 5 ss.) vilicus Crotona proficiscentibus optimum vitae praesidium commendat, sed adulandi artem mendacem: ut verbis illis „funus promittere patris“ universa artis significatio „motus astrorum ignoro“ antecedit, ita hoc loco illud „mentiri“ universe dictum exemplo „laudare malum librum“.

Transit poeta v. 58 ad peregrinorum turbam insolentem perstringendam. In quos quod incidit, non mirum, cum v. 41 iam in enumerandis officiis improbis Graeculorum

---

1) Hoc certe exemplo superat Martialem, cuius conferas IV. 5, 8 „plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro [potes]“; quorum ille videtur fuisse artifex cui haud invitus plauderes (cf. Mart. X. 3, 8,; Friedlaender, Sittengesch. III. 343).

2) In Verris, furis praestantissimi (2, 26), exemplum incidit versus 47 s. memor.

3) Cf. Marquardt, röm. Staatsverwaltung III^2, 182 adn. 9.

4) Cum v. 6, 549 cf. Luciani Alex. c. 5 *γόης . . τῶν ὑπισχνουμένων χάριτας ἐπὶ τοῖς ἐρωτικοῖς . . καὶ κλήρων διαδοχάς.*

maxime industriam ei ante oculos versatam esse verisimile sit: mentiendi atque adulandi gentem peritissimam Graecos ipse appellat v. 86 (cf. praeterea verba „laudat sermonem indocti amici“ cum v. 41), et astrologos haruspicesque (cf. v. 77 augur . . . magus) Graeciam vel orientis solis regiones maxime suppeditasse notum est) [1]).

Atque quomodo iniuriam a Graeculis illatam ostenderet non dubium esse potuit satirico quem finxisse vidimus libertinum illum (1, 102 ss.) ad Euphraten natum, fortunae filium praetores tribunosque populi Romani summoventem: opponendi scilicet erant Graecis Romani, et eo quidem consilio, ut summoveri hos ab illis appareret. Quod ut tibi quam gravissime inculcet, non parcit sententiis generalibus: v. 104 „non sumus ergo pares: melior qui . . .“, 119 „non est Romano locus hic, ubi regnat Protogenes aliquis , ...“; tum exemplis docet, quam iure Umbricius debita fidelitati et virtuti praemia sibi vindicet: et de multis annis [2]), per quos officia domino praestiterit, monet (124) et prisca morum simplicitate [3]) merum Quiritem se Romae educatum esse affirmat (83). Altera ex parte nitorem iactationemque peregrinorum divitum describit (81): „horum ego non fugiam c o n c h y l i a?“, quae et in Crispino eiusdem generis homine perstringendo notavit (1,27) [4]), et honores illis immerito concessos depingit 81 s. simili colore usus quo 1, 102:

me p r i o r ille
signabit fultusque toro meliore recumbet
advectus Romam quo pruna et cottona vento?

[1]) Friedlaender, Sittengesch. I. 363 „ . . . Astrologen, vorzugsweise Griechen, Orientalen, Aegypter . . .“, ubi tamen in adnotatione erravit vir doctissimus laudans Iuvenalis locum 3, 41; conferendi erant ex gr. Iuv. 6, 550. 585; Petr. c. 76, 10.

[2]) Eadem miserationis excitandae ratione utitur poeta 1, 132; 5, 13.

[3]) Nam recte simul m o r e s simplices Sabinorum (cf. Friedlaender ad 3, 169) tangi adnotant Heinrich et Mayor. Bacae mentionem fecit Iuvenalis, quia antea de prunis et cottonis invectis dixerat in notandis peregrinis. — Ceterum cum illo „caelum hausit“ (84 s.) e Vergilio (Aen. X. 899) sumpto conferas Lucilii v. 601 „suspendatne se an in gladium incumbat ne c a e l u m b i b a t“, ubi videas Marxii adnotationem.

[4]) Quo tertiae saturae loco iam magis adducor, ut 1, 27 poetam non magistratus vestem sed privati hominis elegantiam lautiorem castigasse credam.

Ubi, quam sibi constet Iuvenalis in rebus inveniendis, bene intellegere potes: ut v. 1, 111 magistratibus populi Romani posthabitis acriter opponendum putat, cuiusnam generis homo hanc iis afferat iniuriam, ita 3, 83 simili in re simili sententiarum cursu ductus [1]) non omittit addere, unde venerit homo impudens et cuius sit condicionis. Iam quo ducatur poeta cupidissimus iniquitatis illustrandae v. 92 postea videbimus. Hoc igitur in certamine Graecorum et Romanorum quod improbis utentes armis illi inducuntur, plane consentit cum ea quam in prima satura cognovimus ratione (pag. 14 s.), nisi quod et hac in re multo mitiora proferuntur.

Atque primum de artibus inhonestis, quas exercent Graeculi, queritur (76 ss.) retractans quae tetigerat 31 ss., 41 ss.: aliptes, augures, funambulos, medicos, magos corripit, quorum multitudinem permagnam Romae versatam esse notum est; neque Romanorum artium aemulos enumerare omittit, grammaticos et rhetores, quos ut memoret, praeterea Isaeo commemorato [2]) factum esse potest. Quarum singularum artium peritos singulos si induxisset serie longa [3]), iam bene industriam nullum fere quaestus genus non experientem illustrasset; quam tamen mirum quantum auget poeta eo, quod Graeculum unum universas has artes factitantem inducit (75, 77): hanc contra ingenii sollertiam multiplicem certe Romana gravitas nihil agit.

Deinde ut eam peregrinorum sedulitatem impudentem perstringat, quae clienti Umbricio maxime odio esse debebat, ut patronorum gratiam captantem clientesque Romanos

[1]) Similiter quae 3, 31—41 enumerat officia illiberalia (conducere, auctionari, mentiri) simili in re eodem ordine profert in satura septima: conducere v. 4. s., auctionari 6—12, mentiri — graviore quidem verbi sententia — 13—16. Videas porro, quam respondeat versibus 3, 42—50 locus totus saturae sextae: motus astrorum ignoro = 554 ss., funus promittere patris = 565, ranarum viscera inspicere = 549 ss., conscius esto = 552. cf. pag. 16. adn. 1.

[2]) Saepissime Iuvenalis comparationibus utitur, ut quasi ex itinere praeter exspectationem carpere possit: 1, 80; 6, 198; 9, 3. 6. 25. 117; 10, 202, 220 ss.; 12, 11. 45; 13, 119. 197.

[3]) Addit numeri artium et varietatis augendae causa geometrem, de quo quid iudicem nescio, et pictorem Valerii Maximi (VIII. 14, 6) sententiam fortasse secutus; studet certe, ut omnia quae cogitari possunt attulisse videatur; cf. pag. 23. 40.

summoventem Graeculum describat, coloribus utitur a comoediarum scriptoribus diligentissime iam acutissimeque excultis et receptis a satiricis)[1]: adulatoris personam inducit (86 ss.). De quo cum Lucilius (in libro XXVII. — cf. Marxium vol. II. p. 250 —; cf. 741; 918; 1063), Horatius (s. I. 9, 57 ss.; II. 5; ep. I. 18, 10—14), Persius (1, 53 ss.) dixissent, numquam — excepto fortasse Horatii loco s. I. 9, 47 s. — adulatori id vitio dederunt, quod artificiis suis alios summoveret: Iuvenalis et hoc in argumento tractando iniquitatem exponendam respicit[2]). In singulis quoque rebus enarrandis nonnihil novavisse videtur, si priorum satiricorum tractationes comparaveris; simillima vero inveniri in comicorum atque Theophrasti nec non Martialis libris notum est[3]).

Tum vero (109 ss.) acrioribus coloribus depingens insinuandi rationem perditam suum in usum confert officium sordidissimum illud, quo Petronii Trimalchio profecisse se in domini sui domo profitetur c. 75 s.[4]), quodque ipse Iuvenalis longe alio quidem vel plane contrario consilio in satura nona commemorat (9, 70 ss.); nunc autem, ut illustret sententiam v. 49 ss. enuntiatam et iterum iterumque variatam pessimasque hominum artes exponat, id quod alii nec non ipse 9, 70 ss. iussu domini dominaeve factum esse volunt,

---

1) Cf. Ribbeck, Kolax, Abh. d. phil.-hist. Classe d. kgl. sächs. Gesellsch. d. Wissenschaften 1883 vol. IX. p. 28 s. Raro alioquin comoediae argumentis utitur Iuvenalis: meretricum, lenonum, parasitorum, iuvenum amantium, patrum iurgantium, servorum astutorum nusquam fere mentio fit, cum et Lucilius et Horatius multi sint his in personis inducendis; mimo vero nonnulla debere videtur.

2) Quem tamen hac quoque in re praecessit Martialis X. 10.

3) Laudiceni (87) cantantiumque admiratores (90) notissimum adulatorum genus: cf. Ribbeck p. 43 s., Mart. II. 27; III. 46, 7 s.; VI. 48; XII. 40; qui figuram deformis patroni laudant (v. 77 ss.), memorantur ib. p. 46 s., cf. Mart. XII. 82, 9; Luc. de merc. cond. 35; Tim. 23 = dial. mort. 9, 4; de iis qui ab aliena facie vultum sumunt (v. 100 ss.) conferas ib. pag. 50 s.; qui foedissimis quoque in rebus laudanda inveniunt (107 ss.), Eupolidis iam aliorumque versibus haud verecundis irridentur; aliter argumento utitur Martialis XII. 40, 3.

4) „. . . ad delicias ipsimi annos quattuordecim fui, nec turpe est quod dominus iubet; ego tamen et ipsimae satisfaciebam . . . ; ceterum, quemadmodum di volunt, dominus in domo factus sum . . . .“; cf. ib. 45, 7; 69, 3; Luc. catapl. 11; somn. 32; Iuv. 6, 278. 331.

suo consilio atque per vim Graeculum molientem facit, bene occasione usus, qua licuit ei libidines effusas perversasque et perfidiam in proficiendo perstringere. Neque — quo est amplificandi studio — in uno vel altero exemplo acquiescit, sed in totam amici familiam grassari salacem vult, diligenter castam reverendamque domum describens: pudicissimam nempe mulierem intellegi vult quam nominat matronam laris (110); filiam virginem inducit — rarum hoc in Iuvenalis feminis puellisque, cf. 6, 49 ss., 60 ss.; 1, 78 —, sponsum tenerum atque castum certe, filium erilem pudicum — praetextatos adulteros novit 1, 78; cf. 10, 311 ss. —; iam vero quod aviae vis infertur, gravissimum sane scelus et spurcissimum omnium intellegi vult, cum aliis locis ipsas vetulas libidinosissimas inducat (1, 39; 6, 192 ss.[1]).

Iam ad tertium huius primae partis argumentum transeamus, ubi quae sit Romae pecuniae potentia atque pauperum condicio misera demonstratur. Scilicet gratissima, cum clientium mentio esset facta (125), egrediendi occasione oblata eandem nobilis salutantis personam inducit satiricus 126—30, qua simili in re usus erat 1, 100 ss.; quam prorsus eodem sententiarum cursu quo 1, 102 ss. sequitur libertinus dives 131 ss[2]): iam non mirum, quod in eandem nunc sermo se effundat materiam pertractandam, quam simillimo modo illic illustratam 1, 112 complexus est poeta sententia illa „. . sanctissima divitiarum maiestas“.

De divitiis permulta conscripsisse et philosophos[3]) et satiricos non est, quod moneam post Schuetzeum p. 9 ss. Qui cum id maxime sibi proponerent, ut non petendas esse di-

[1]) Hunc in modum Martialis utitur argumento in eiusdem generis epigrammate IV. 5, 6 ,, . . . Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis? . . . Qui nec . . . nec potes algentes arrigere ad vetulas“. — Enumerationem simillimam habes 6, 329 ss. — de verbis 3, 112 ,,horum si nihil est“ = 6, 331 „si nihil est“ iam Friedlaender monuit. Cf. 6, 438—40.

[2]) Sine dubio libertum intellegi vult poeta; quem appellat ,,divitis servum“, ut habeat, quod accuratius atque acerbius opponat verbis „ingenuorum filius“; minus est verisimile respexisse Iuvenalem liberae rei publicae prioris morem, de quo egit Mommsen, röm. Staatsr. III. p. 428 (cf. 421, 1).

[3]) In rhetorum quoque scholis de divitiis dici solitum esse testatur Sen. contr. I. praef. 23.

vitias docerent, mala pecuniae eiusque cupiditatis illustrabant: quam caducae sint opes exponunt (Luc. 551. 701; Varronis *ΑΛΛ' ΟΥ ΜΕΝΕΙ ΣΕ (περὶ φιλαργυρίας)* fg. 21 ss. B.; Hor. s. II. 2, 129 ss., ep. II. 2, 171 ss.; Luc. navig. c. 26), quantum sollicitudinis afferant (Luc. 203.; Varro 126 B.; Hor. s. I. 1, 70 ss. 110; ep. I. 16, 65 s.; II. 2, 147; Luc. Gall. 29, Sat. 26), quam non valeant ad valetudinem, sapientiam, felicitatem comparandam (Varro 36; Hor. ep. I. 2, 47 s.; II. 2, 151 ss.; cf. s. II. 3, 94 ss.; ep. I. 6, 36; Luc. Gall. 23, Sat. 28). Talia certe et apud Iuvenalem occurrunt, sed in ultimis tantum saturis, inprimis 14, 135 ss. (cf. 10, 12 ss.; 12, 130 ss.); tertia autem in satura aliter argumento utitur: quoniam iniquitatem illustrandam sibi proposuit, non quae sint mala divitiarum, sed quae commoda et privilegia depingit vel potius ex contrario, quantum iniuriam capiat paupertas, exponit. Atque primum repulsas pauperi ferendas — quippe quae animum maxime doloribus afficiant — profert (137—166), deinde caritatem rerum victumque sumptuosum (166—189).

Igitur ut probet fidem denegari pauperibus, ampliore paulo argumentatione[1]) utitur 137—46: sanctissimis pristini temporis viris non credi contendit, nisi ante de nummis rationem reddidissent: quod si ita est, quid exspectandum in homine tenui et ignoto? Ubi cur antiquos illos inducere voluerit, non dubium: scilicet cum a viris priscae simplicitatis quaeri faceret, quantum darent ciborum delicatorum copiae comparandae[2]), bene simul mores nunc depravatos luxuriamque effusam tangere licuit. Tum quod exemplo demonstravit comprobat sententia vel proverbio antiquitus tradito[3]) v. 143, quo confidentius contendat nihil agere pauperem,

---

[1]) Quam et 7, 139 adhibet „Ciceroni nemo ducentos nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens . . .“; cf. pag. 25, adn. 1.

[2]) Ad Numam regem et reliquae pertinent quaestiones: servum sibi emit Virro (5, 57) maiore pretio „quam . . . Romanorum omnia regum frivola“; ut solus possideat „agri, quantum sub Tatio populus Romanus arabat,“ studet avarus 14, 160.

[3]) Miror, quod ne satiricorum quidem locos similes attulit Friedlaender: Lucilii versus scholiasta ad locum laudat (= 1119 s. M.); Hor. s. I. 1, 62 (ubi videas adnotationem Kiesslingii); Petr. c. 77, 6; cf. Heinze, de Horatio Bionis imitatore (Diss. Bonn. 1889) p. 18; Otto, Sprichwörter der Römer, p. 157.

omnium licet deorum iram sibi imprecetur. Et vide, quantum momento serviat satiricus: nempe cum hoc loco malitiae summae atque iniuriae accuset homines, quod ne iuranti quidem credunt, sat. 13, 34 s., 60 ss., 75 ss. illum ipsum „bulla dignissimum" appellat qui exigit „a quoquam ne peieret", qui putat „ullis esse aliquod numen templis araeque rubenti".

De eo iniquitatis genere, quod 147—53 tractatur, nihil habeo quod dicam [1]); monendum fortasse Horatium quidem s. I. 3, 30 simili in re dixisse „rideri p o s s i t", Iuvenalem vero ad unum omnes (148) ridere contendere.

Hoc quoque argumentum cum sententia generali concluserit, tertium addit (153—9) eius generis, quod v. 81 tetigerat („me prior ille . . .") similemque in modum atque illud excultum. Et habet profecto, cur coloribus haud parcat: quaenam enim haec iniquitas, si removetur qui tantum sibi sumpsit, ut equitum sedibus insideret, cum dignitate equestri prorsus careret? [2]) — neque enim in ipsos ordines pro censu discriptos invehitur poeta, sed in legem Rosciam theatralem (v. 159), quae suas cuique ordini attribuit sedes, a Domitiano (Suet. Dom. 8) restitutam. Potuit dicere: in theatro quoque videres, quae sit pauperum contemptio et qui divitum honor, cum vel lege sanctum sit, ut hi primis sedeant subselliis, illi extremis se contineant. Sed — quae est Iuvenalis inventio rebus abundans — ubi de divitibus acturus est, tales ei occurrunt, quales in prima satura (v. 25. 26—29. 37 ss.) nec non in tertia (29 ss., 81) iam induxit, scilicet qui immerito foedisque artibus divites facti sunt; quorum splendorem iniqua fortuna concessum quo acerbius illustret, ea qua simili occasione in prima et in tertia usus est ratione s u m m o v e r i vult ab iis homines dignos: quemcumque igitur hominem pro-

[1]) Iure Bluemner p. 267 non de tunica (Friedl.), sed de c a l c e i s f i l o linteo consutis agi putat v. 150 s.: opponuntur scilicet pellis calcei rupta et „vulnus" consutum sed ipsa sutura conspicuum.

[2]) Quodsi talem sibi finxit Iuvenalis, qui fuit quondam eques, nunc vero patrimonio amisso censum non iam explet (ita fortasse interpretanda sunt verba „cuius res legi non sufficit"), non iure queritur, quod equitum sedibus movetur, siquidem Domitianus ea quoque retinuit, quae affert Mommsen, röm. Staatsrecht III. 1, p. 500.

bum suo iure in equitum pulvinis sedere atque iniuria inde depelli contendit. Quod tamen ut re vera inique fieri tibi persuadeas, haud ignorans in summoventibus illis maxime positam esse iniquitatem, his equitibus spurcis depingendis studiose dat operam; vel eo depravandi studio procedit, ut, quam disserendi formam adhibendam censuerit, plane obliviscatur: nam v. 155 ss. poetae quidem indignabundo accommodati sunt, neque vero dissignatori theatrali (cf. Mart. III. 95, 10; V. 8, 12) aliive suscitanti (cf. Mart. V. 25, 1. 2) quem poeta facit loquentem [1]. Humillimo igitur genere — a quo mire dissentit habitus lautitia (158 „cultos") — atque patre foedissimum quaestum exercente natos inducit, ut — si quae ipsi acciderint Umbricium referre ponimus — denuo honestis eius artibus sterilibus opponantur praemia splendida hominum spurcorum (ut supra v. 21—4, 29—50); iam et „pueri" illud et „iuvenes iuvenesque" acerbissime apparet dictum: senex Umbricius (26) depellitur, quo adulescentuli insidant: hoc iam acerbius eo apparet, quod p u d o r e m provocant impudentissimi ipsi. Hi sunt Romae nunc mores; fuit tempus

credebant quo grande nefas et morte piandum
si iuvenis vetulo non adsurrexerat . . . (13, 54 ss.)

Quarto loco ne crescere quidem ullo pacto tanta ex humilitate pauperes posse tribus exemplis docet (160—2) sententiaque universa probat (164—6): quoniam laboribus officiisque non proficitur, nulla iam restat homini probo emergendi spes, nisi aut uxorem dotatam ducere contigit aut hereditatem consequi: sed hanc quoque fallere vult poeta — non iniuria fortasse (cf. Plin, ep. I. 14, 9; IX. 30, 1; Hor. ep. I. 6, 36 s.; Mart. V. 81). Eodem consilio et de officio assessoris illud attulisse mihi videtur, non tamen, opinor, ut tertium pecuniae adipiscendae occasionem nominaret, sed ut alteram ascendendi viam: nam ei quoque, quem magistratus honore dignantur, reverentiae aliquantum tribui solet; sed ne haec quidem occasio datur pauperis virtutibus [2], licet poetae

[1]) Vidit iam Schulz l. l. p. 181 adn. 2.

[2]) Conferas simili in re simile dictum 7, 145 s.

saltem iudicio (8,47 ss., cf. 7, 134) non nobiles divitesque immo clientes [1]) abiecti peritissimi sint iuris legumque — id quod maxime videtur spectatum esse in huiusmodi consiliis [2]).

Tum demum ad ea paupertatis incommoda transit, quae Martialis in huiusmodi epigrammatibus profert: de victu caro queritur 166—189. Quod argumentum ut commodius adnectat, suo modo (cf. Vahlen p. 6; Sydow p. 30.) superiora sententia generali colligit (164 s.) adhibita, qua saepius [3]) utitur, gradationis figura; quam defendit versibus sequentibus — particulam „nam" addere possis. Atque cum tria essent potissimum quae ad vitam homine digne tolerandam opus sunt — cibus, vestis, domicilium —, his de rebus inprimis erat dicendum; quas Martialis quoque affere solet [4]). His vero Iuvenalis addit alias eodem nimirum studio ductus, quo in satura quinta omnia fere convivii fercula prosequitur, cum Martialis paucis se contineat (cf. pag. 38, adn. 3). Habitandi igitur condicionem cum tetigerit — quam postea longius aliisque coloribus tractat — (166), de ciborum caritate locuturus servorum etiam mentionem facit eadem sententiarum serie, qua 9, 63 ss. primo pensionem inducit „posce" clamantem, tum servum esurientem. Animadvertendum ceterum brevissime atque optime monere simul satiricum, quantum non par sit effectus atque pretium empti, ita ut hac quoque in re iniquitatis aliquantum appareat: miserabile est domicilium, frugi et exigua cena („cenula"), licet magno constent, insatiabiles denique servi („ventres"). Cenae igitur mentione facta non mirum, quod ad cenarum suppellectilem tractandam transit (168), ubi occasione oblata primum opponit vitae urbanae rusticam: fictilia nempe vasa quoniam priscorum

[1]) Ita interpretor 8, 49 „de plebe togata", cum adnotet Friedlaender „soviel als Romana". Sed conferendum potius 1, 96 „turbae . . . togatae", ubi videas adnotationem Friedlaenderi; cf. 7, 142.

[2]) Cf. s. v. adsessor Pauly-Wissowa vol. I. p. 425 (Seeck); sed cf. ib. IV. 921 32 (Liebenam); Mommsen, Staatsr. I.[3] 310, 3.

[3]) Ex gr 3, 302; 10, 12; 6, 355. 413. 553. 557. 569.

[4]) X. 96 cibus — vestis; cf. III. 38 pensio — vestis — cibus, VII. 92 pensio — vestis, III. 30 vestis — pensio — balneum — prostibulum.

atque agrestium in laudibus commemorari solent (Tib. I. 1, 38 s.; Mart. XIV. 98; Iuv. 11, 108), priscorum vero simpliciumque hominum exempla Sabini nominari (cf. editores ad l.), facile ut de iis moneret fieri potuit[1]); qua in re ut acerbius ante oculos ponat, quam insana sit urbanorum condicio, „subito“ (cf. Hor. s. II. 7, 26) te Roma in Marsos quasi dei manibus „transferri“ vult sententiaque mutari, eadem arte usus qua 5, 132. Iam tantopere gaudet describere agrestium vitam, ut, cum de vestimento dicendum sit, non ab urbis lege molesta notanda incipiat, sed ita transitum faciat, ut cenarum illi agresti supellectili statim adiungat vestitum ruri usitatum (170). Ubi monendum puto non recte eos facere qui „Veneto“ scribunt, ut sit dictus cucullus de patria lanae; licet enim me non fugiat saepius Iuvenalem proprie notare quae universe dici poterant (cf. p. 12, adn. 1), primum non video, cur moneat describens simplicitatem rusticam aliunde importatum esse vestitum; deinde conferendum est Martialis epigr. XIV. 139[2]), ubi quid sit illud „callaicas“ e Lydi loco (de mens. IV. 30 Wünsch) intellegas: *.. βένετον δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τὸ παρ' ἡμῖν καλλαΐνον χρῶμα προσαγορεύουσιν* ...: de colore ergo veneto agitur, quod alterum simplicitatis documentum additur verbo „duro“. Iam quod ad vestimentum pertinet, non mirum de toga sola dicere in huiusmodi carminibus Martialem clientem; qui duas ob causas indignari videtur (cf. Marquardt, Privatl. p. 259, adn. 9): primum, quod molesta est (XII. 18, 5. 17; cf. I. 49, 31), deinde, quod salutantis comitantisque usu cotidiano cito deteritur atque altera emenda est (X. 96, 11; cf. IV. 66, 3) et ea haud parvo pretio (IX. 100, 6; IV. 26, 4). De toga, clientis vestitu proprio, Iuvenalis quoque Umbricium querentem facit vel potius in togae quoque usu quam melius sit ruri probantem, bene ar-

[1]) Alia quoque via in Sabinorum gentem incidere potuit, Numae scilicet vasorum fictilium memor (6, 343 s., Pers. 2, 59), qui a Sabinis ortus est (Liv. I. 18); ut Marsos Sabellis adderet, Vergilii verbis Georg. 2, 167 eodem versus loco positis factum est.

[2]) Pauperis est apophoreton (Cuculli Liburnici): „Iungere nescisti nobis, o stulte, lacernas: indueras albas, exue callaïnas“; ubi Friedlaender: „Die Kapuze hat den weissen Mantel grün gefärbt.“

repta occasione qua licuit festive aliquod et ἀπροσδοκήτως [1]) dictum affere et — ubi de theatro sine toga loquitur — simul altera in re ruris simplicitatem beatam paucis depingere: rarissime otiosi ludis indulgent municipiorum incolae:

ipsa dierum
festorum herboso colitur si quando theatro
maiestas tandemque redit ad pulpita notum
exodium . . . . (172 ss.),

cum Romae permagnum anni spatium spectaculis detur (Friedlaender, Sittengesch. II. 311). Igitur cum laudet, quod contra urbis usum vel ludos spectaturus nemo togam induit, minus molestiam togae premere videtur Iuvenalis quam — ut totius loci rationi convenit — multae eam pecuniae esse; quod significat illud „hic ultra vires habitus nitor“ e. q. s. Ubi tamen quoniam non solum de simplicibus civibus dicit, sed „orchestram“ quoque „summosque aediles“, producat, quos proferre minime necesse erat, si vilis victus tantum testem laudare vellet tunicam pro toga sumptam, simul de morum simplicitate — quae vel maxime in nobilibus cognoscitur — atque animi modestia monere Iuvenalem apparet: hoc consilio contendit illud 178 ss.

clari velamen honoris
sufficiunt tunicae summis aedilibus albae.

Quibus rebus absolutis complectitur quae exposuit de rerum caritate sententia universa (184), quam novo exemplo illustrat e clientis vita sumpto et ita ficto, ut denuo summa appareat iniquitas (184—9): nam iniquissime certe factum est, si pecuniam debes numerare, ut salutans domino

[1]) Nemo togam sumit nisi mortuus (172). Amat talia satiricus, Martialis fortasse argutiis delectatus: cf. 1, 74 probitas laudatur et alget; 6, 622 tremulumque caput [Claudii] descendere iussit in caelum. Enumerationes ita finiuntur: 3, 7 ss. horrere incendia, lapsus tectorum . . . ac mille pericula saevae urbis et Augusto recitantes mense poetae; 6, 85 ss. immemor illa domus et coniugis atque sororis nil patriae indulsit, plorantesque improba natos, utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit; 6, 438 ss. cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis turba tacet, nec causidicus nec praeco loquetur, altera nec mulier. (Quem locum imitatus est Fulgentius mytholog. I. p. 23 ed. Muncker (=Petronii fg. VI. B.) „licet mulierum verbialibus undis et causidici cedant nec grammatici muttiant, rhetor taceat et clamorem praeco compescat . .“)

servias[1]); quod quo acerbius iam videatur, salutationem ipsam a domino cum superbissimo fastidio accipi vult satiricus eodem colore usus quo Martialis X. 70, 5; neque in sententia post egressionem versuum 187/8 addita omittit acriter opponere, qua solet ratione, clientibus miseris servos divitum lautos, quo demonstret denuo, proficere Romae indignos et pasci pauperum sumptibus.

Finita ea saturae parte qua illustraverat versuum 21-24 enuntiatum transit Iuvenalis ad probandas servato fere rerum ordine quas 7—9 adumbraverat urbis molestias corpori potissimum mala afferentes.

Incipit igitur ab aedium periculis incommodisque (190—238), quorum iam v. 166 brevissime mentionem fecit alia tamen rerum serie. Atque de ruinis (190—6) hoc tantum monendum mihi videtur, neque Horatium neque Martialem hoc usos esse argumento, licet hic quidem similem afferat casum, quo Regulum suum deorum providentia servari probet (I. 12. 82); Iuvenali autem neque hoc praetermittendum videbatur, praesertim cum de incendiis erat locuturus, quibuscum coniungi solere ruinas[2]) bene adnotat Friedlaender, Sittengesch. I. 30, adn. 4.

Incendia quoque Martialis non adhibet urbis incommoda describens, nisi quod IV. 66, 13 Linum municipii incolam neque ignem tectis nocuisse monet (cf. praeterea III. 52; VI. 33, 4); optime vero ad iniquitatem et hoc in genere molestiarum illustrandam argumento utitur Iuvenalis. Nam

---

[1]) Acerbius hoc est inventum quam quod Lucianus simili in re profert de merc. cond. 10: *δεῖ . . περιμένειν . . ὑπὸ θυρωρῷ κακῶς συρίζοντι καὶ ὀνομακλήτορι λιβυκῷ ταττόμενον καὶ μισθὸν τελοῦντα τῆς μνήμης τοῦ ὀνόματος*: iam ut salutet, servis pecuniam dare clientem vult Iuvenalis, nedum, ut a nomenclatore domino commendetur. Ceterum non in salutatione solita matutina, sed cum rogaturus quaedam atque alio tempore dominum adierit cliens talia accidere potuisse Friedlaender intellegere videtur (Sittengesch. I. 385). Quod licet re vera fortasse ita se habuerit, bene cavet poeta, ne tale quid e verbis suis appareat, quo minuatur rei iniquitas.

[2]) Notandum fortasse etiam in loco Vergilii Aen. II. 310 s., unde fluxit illud „iam frivola transfert Ucalegon“ (199) coniunctam esse ruinam domus et incendium, ubi tamen illa quoque flammarum vi efficitur.

primum, quo commiserationem tibi excitet, cum perditam flammarum vim describat, pauperrimum inducit poetam, qui incendio amisit frivola omnia; quae diligentissime et lepidissime depinguntur magno dedito labore, ut summa quidem hominis tenuitas appareat neque tamen immundum quendam tibi fingas, quales Martialis notare solet (I. 92; XI. 32; XII. 32): lectus pusillus, urceoli, parvulus cantharus — quae sit abaci magnitudo ex eo intellegas, quod cantharum in eo collocare iam non licet — vetus cista, libelli a muribus arrosi: huius igitur miseri fortuna optimum praebet documentum, quo probetur illud (23 s.):

res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
deteret exiguis aliquid . . .

Tum vero eadem atque supra (v. 160 ss.) ratione adhibita eo iniuriae processisse homines poeta vult, ut ne adiuvare quidem gravissimo casu afflictum atque tollere inopem a se impetrent (209—11); quod quo gravius appareat, inducit quendam incendio ita perditum, ut neque habeat, quo corpus tegat neque, quo famem toleret: non impudenter certe rogat, qui talia rogat. Hunc igitur in modum in ea quoque calamitate, quam a natura illatam esse dixeris, hominum iniquitatem perstringendam sibi parat satiricus. Et vide, quam graviter hoc sit dictum: non pergit poeta narrare quae Codro illi aliquando acciderunt, sed in sententiam universam transit, ut exploratum plane se hoc habere intellegas atque pro certo accipias: non „iuvavit“ dicit 211 sed „iuvabit“. Deinde egressione facta (212—22) eadem ratione qua 169 ss. miserae Romae condicioni opponit ruris iucunditatem (223—31). Primum quod iam 166 ss. tangere poetam monui iterum affert: non solum ea, quae in locando domicilio quotannis in urbe consumitur, pecunia totam domum emi posse in municipiis contendit, sed augendi discriminis causa tenebricosum illud, optimam hanc esse vult, quo aequiore quoque lege ruri te vivere intellegas. Tum villae delicias depingit usitatis plerisque coloribus: hortum, fontem, olus laudat ut Martialis XII. 31 (cf. Hor. s. II. 6, 2 s.), neque tamen quam facili negotio coli possit et ita quidem, ut habeas hic „emo-

lumenta laborum", quae in urbe tibi desunt, significare omittit: hortus igitur non ita magnus est[1]), aqua ad manum, uberrime proveniunt olera[2]); accedunt alia levissime tantum tacta: „vive bidentis amans" ad Horatii ep. I. 14, 39 fortasse respicit „rident vicini glaebas et saxa moventem"; circensium (223) strepitum quod effugit, simili loco 11, 193 ss. poeta gaudet, ut Horatius s. II. 6. 72 laudat, quod ruri non agitur „male necne Lepos saltet".

Iam cum de domiciliis ageretur, optime adiungi potuit illud, quod dormire Romae non licet ob strepitum viarum (232—38); qua de re Horatius iam et Martialis monuerunt; quos tamen quantum atrocitate superet Iuvenalis, hoc rursus exemplo cognosci potest. Et Horatius quidem in universum tantum de strepitu nocturno queritur (ep. II. 2, 79), quo, ne carminibus operam det, se impediri clamat: singula nominat Martialis XII. 57, 3:

nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
in urbe locus est pauperi. Negant vitam
ludimagistri mane, nocte pistores . . .
ib. 26 nos transeuntis risus excitat turbae,
et ad cubile est Roma . . .

conferas IV. 64, 20: longe abest a via Flaminia Iulii Martialis villa,

ne blando rota sit molesta somno . . .

A quo, quantum ad colores, non multum differt Iuvenalis: raedarum et ille mentionem facit, mulorumque mandras[3]) in diei incommodis enumerat (V. 22, 7; cf. Hor. ep. II. 2, 72); sed non modo offendi et quiete excitari vult homines, verum morbo corripi atque adeo mori, neque de uno alterove loquitur, sed solito augendi modo plurimos ita absumi contendit (232):

---

[1]) Simul feliciter beatam rusticorum continentiam tangi iam Heinrich sensit; cf. 11, 78 ss. „. . . Curius parvo quae legerat horto ipse focis brevibus ponebat holuscula . . ."

[2]) Qua in re depingenda Pythagoreorum mentionem iniecit ideo, quod irridendi eos occasionem praetermittere noluit, qua simili in re Horatius usus est sat. II. 6, 63.

[3]) Haud sine consilio coniungit Iuvenalis „raedarum transitus" et „stantis convicia mandrae": quacumque commeandi ratione te vexari apparet.

plurimus hic aeger moritur vigilando, sed ipsum
languorem peperit cibus imperfectus et haerens
ardenti stomacho . . .

Et respice, quam bene instituerit, ut aliud urbis malum aliamque pauperum miseriam simul tangere liceret. Etenim quod 232 pro certo affirmavit, ilico ita variat, ut non insomnia ipsa quidem confici urbanos appareat, sed stomachi doloribus, excitatis tamen insomnia illa (233 s., 236). Talem in gyrum ut sententiam duceret, eo commotus esse videtur, quod et valetudinem Romae temptari ruris amatores querebantur, caeli tamen gravitatem incusantes (Hor. s. II. 6, 18 s.; cf. ep. I. 7, 5; Mart. I. 55, 14); quam morbi causam suum in usum commutat Iuvenalis, neque de febre loquitur, ut Horatius, sed de stomachi laboribus — quibus affectos etiam sat. 5 (v. 32) inducit clientes —, quo simul miserum pauperum victum tangat, quem descripsit 1, 134 et satura quinta.

Distinxit divitis pauperisque habitandi atque dormiendi condicionem iam Martialis (XII. 57); idem Iuvenalem monere non mirandum est. Tangitur ergo paucis verbis v. 235 „magnis opibus dormitur in urbe"; longius rem tractare poeta voluisse videtur 239 ss., sed alia occasione.

Scilicet non solum ob strepitum viarum noctu non dormiri posse, sed etiam ob salutandi aliorumve officiorum laborem non in diem producere licere somnum queruntur poetae urbani: Hor. s. II. 6, 23. 61; ep. I. 17, 6; ib. 10, 18; Mart. XII. 18, 13 ss., XII. 68, 5 s., I. 49, 35 ss., X. 70, 5 ss. Hoc argumentum, quod apte praecedenti adiungi potuit, omittere noluit Iuvenalis optima oblata occasione materiae gratissimae tractandae. Fingit igitur, quo accuratius dives et pauper opponi possint, divitem et ipsum salutando intentum — ex egressione 126 ss. adhuc ei in promptu erat huiusmodi homo —, cui vel in itinere dormire licere demonstrat (241). Quem tamen dum lectica in publico vehentem sibi ante oculos ponit, alia quoque divitis commoda bene afferri posse occurrit: primum, quod et legendo vel scribendo vacat[1]),

[1]) Respicit poeta fortasse quae Horatius conqueritur ep. II. 2, 70 ss.

tum quod „turba cedente" secure atque sine mora iter perficit: et iam alia potissimum contraria ponenda poetae sese offerunt. Neque enim, ut expectaveris (cf. ex. gr. 127), nunc monet, quam intempestiva noctis hora pauperem clientem somnum rumpere oporteat, sed proficiendi rationes opponit. Atque optime hoc modo contigit satirico contraria sectanti primum, ut, quae sint pauperis divitisque discrimina, nova ratione illustraret, deinde, ut commodissime adnecteret aliud argumentum in urbis vituperationibus traditum. Namque ut strepitus nocturnus, ita vicorum tumultus diurnus atque turba commeantium inter urbis incommoda enumerari solet.[1])

Hac igitur molestia pauperem solum affici vult Iuvenalis, cum dives „turba cedente" lectica vehatur; quae ut iam molestior appareat atque adeo iniquitatis exemplum novum prodat, cui exponendae inprimis studere Iuvenalem totiens vidimus (cf. supra p. 12—17. 19. 27. 32. 34 ss. 41 s.), collata commoditate amplissima qua dives fruitur et pauperis contentione summa primum non solum illum vehentem et dormientem idem consequi vult, quod hic currens et pugnans, immo vel priorem advenire quo contendunt ambo (243); tum hominum concursum illum tumultumque vividis coloribus depictum in tantam atrocitatem auget, ut — sicut fecit v. 232 — capitis periculum adire in publicum prodeuntem credas (256 ss.). Colores quidem nonnulli ab Horatio et Martiale iam allati sunt — quod hac in re non mirandum —: apud hunc invenis vicorum lutum (v. 6) et saxa marmorea (v. 8), apud illum serracum (ep. II. 2, 74), saxum et tignum (ib. 73), et quae singulis describit Iuvenalis v. 244—8, leviter attigit Horatius sat. II. 6, 28. Ubi tamen, quantum differant rursus, bene intellegi potest: ipse „iniuriam facit tardis" Horatius, ubi per turbam Maecenatis domum salutaturus petivit: Um-

[1]) Hor. s. II. 6, 28 luctandum in turba et facienda iniuria tardis; ep. II. 2, 72 ss. festinat calidus mulis gerulisque redemptor, torquet nunc lapidem nunc ingens machina tignum, tristia robustis luctantur funera plaustris, hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus; Mart. V. 22, 5 ss. alta Suburani vincenda est semita clivi et nunquam sicco sordida saxa gradu, vixque datur longas mulorum rumpere mandras quaeque trahi multo marmora fune vides.

bricius patitur tantum ictus aliorum; tignum, quod machina suspensum impendet modo capiti Horatii, Umbricio iam incutitur. In ceteris iterum respicias (cf. p. 44), quantum curaverit poeta, ut quam plurima complecteretur et omnia, quae cogitari possent, afferre videretur: turbae violentiam infestam ex eo te intellegere vult, quod unam quamque corporis partem pulsatam enumerat: „hic tignum capiti incutit“, qui „cubito ferit“ certe latus fodicat, „populus premit .. lumbos“, „pinguia crura luto“, „planta calcor ... et in digito clavus ... haeret“; accedit v. 254 tunica, quam acerbitatis augendae causa „modo sartam“ facit. Egressione finitur totus locus, qui commoda rerum serie a noctium strepitu in diei tumultum viarumque pericula nos duxit.

Quibus suo more opponit Iuvenalis, quae noctu in publico ambulantibus imminent pericula, cum ceteri satirici de iis taceant: et hac in re omnia absolvisse videri vult.

Igitur hic illic tegulas de tectis delabi vel vasa e fenestris deici contendit — haud iniuria, ut videtur, — (268 ss.), quibus ut iam gravius te feriri appareat, iterum de aedium altitudine monet, quam in describenda incendiorum atrocitate iam adhibuerat (199 ss.). Unde ut apte transeat ad iurgia nocturna, locutus de fenestris „vigilibus“ inducit quendam et ipsum vigilem in cubiculo iacentem [1]), bene inventa insomniae causa: nondum qua cotidie delectari solebat rixa atque caedes sese obtulerat; ex quo apparet — id quod satirico diligenter spectandum est [2]) — haud insolita et singularia esse quae Umbricio acciderunt. Talem igitur in viatores

---

[1]) Cuius in insomnia depingenda quod coloribus Homericis utitur, diatribarum morem videtur secutus esse: Senecae locum de tranq. an. c. 2, 12 iam dudum attulerunt editores; addas Luciani de merc. cond. 11 *ἐπειδὰν δὲ „πολλὰς μὲν ἀΰπνους νύκτας ἰαύσῃς ἤματα δ' αἱματόεντα“ διαγάγῃς, οὐ μὰ Δία τῆς Ἑλένης ἕνεκα οὐδὲ τῶν Πριάμου Περγάμων, ἀλλὰ* .. (= *I* 325; verba Achillis).

[2]) Haud minore diligentia ea sunt dissimulanda, quae laude digna sint; cf. ex. gr. 14, 33 „unus et alter forsitan haec spernant iuvenes, quibus arte benigna et meliore luto finxit praecordia Titan, sed reliquos ...“, ubi, ne concederet vel paucos illos parentum exemplo probos evasisse, Promethei fabellam

grassantem inducit, magna dedita opera, ut denuo manifestum fieret iniquissime pauperem tractari. Primum ergo solito artificio divitem opponit longe alia lege tractatum (283—5); deinde innocentissimum fingit pauperem vapulantem, quippe qui ne reddere quidem convicia ictusque vim inferenti audeat (289), neve credas cedendo vel respondendo identidem quaerenti sedari atque vitari rixam posse, expressis verbis non esse, quomodo te recipias, docet (297); tum quasi ipse iniuriam intulisset pauper poenamque meruisset, summis precibus, ut dimittatur, orandum esse pugnis conciso exponit acerbissima sententia (299 ss.). Accedunt alia. Quo magis te misereat homunculi, lepide eadem ratione, qua Codri supellectilem, luminis apparatum tenuem depingit, quo pauper parcissime usus viam sibi illustrat (286 s.); tum, ut novo exemplo probet illud „nil habet infelix paupertas durius in se, quam quod ridiculos homines facit" (152 s.), vilem miserorum escam turpissimum in ludibrium verti a nobili illo petulanti vult (292—4); postremo eodem modo, quo v. 278 quid antea solitus esset agere rixator adumbraverat, v. 296 et 298 quid postea exspectandum sit pauperi significat [1]): atque quae sit Romae iudicum in pauperes iustitia, iam v. 144 ss. demonstratum est; alteram igitur instare iniuriam ex illa ortam miserrimo perferendam apparet.

Iam cum satis de viarum periculis nocturnis egerit, commoda gradationis figura adhibita ea opponit poeta, quibus domi petuntur urbani [2]); ubi cum de furibus locutus sit (302—4), ad sicarios transit (305—8) inventione eodem opponendi studio ducta. Quos sat. 10, 22 quidem non metuendos esse pauperi contendit; sed in tertia optime iis uti licuit,

---

arcessivit poeta; 6, 359 ss. cautissime de viris dicit, quos parcos inducere necesse erat, ut haberet, quod suo more feminis opponeret: „tamen utile quid sit, prospiciunt aliquando viri, frigusque famemque formica tandem quidam expavere magistra": videlicet ipsos suapte ratione adductos parsimoniae studere non videbatur concedendum: formicam imitantur.

[1]) Possis conferre quae in fine paginae 17 adnotavi.

[2]) Paulo neglegentius contraria componuntur; nam quae separatim opponenda erant rixatori in publico grassanti („clausis domibus" et „spoliet") ob praecipitem satirici inventionem in unum coniunguntur, tamquam iam ille in via spoliasset.

ut gravissimum in fine poneret argumentum: quid, cum sicariorum undique tibi imminent gladii, Romae morari sustines? Neque tamen facere potest satiricus, quin ridiculi aliquid in re atrocissima moneat — et hoc perversae rerum condicionis exemplum —: tum maxime vexatur urbs a latronibus, cum acerrime in eos inquiritur (306—8). Horum igitur cum multitudinem immensam in urbe concurrentem sibi fingat, quantum ad eos coercendos opus sit vinculorum catenarumque computat (311); cui ad belli quasi intestini usum adhibito ferro opponit pacis arma eodem sententiarum nexu iisdemque verbis usus quibus postea sat. 15, 166 ss.

cum rastra et s a r c u l a tantum
adsueti coquere et m a r r i s ac v o m e r e lassi
nescierint primi g l a d i o s extendere fabri . . .;

quorum eo facilius mentio fieri potuit, quod haec sunt ruricolarum instrumenta atque Umbricio „bidentis amanti" haud neglegenda.

Et iam ad egressiones quae mihi videbantur transeamus. Neque huic enim saturae ceteroquin bene compositae plane desunt, licet magis lateant. Opportunissima nempe saturae forma poeta utitur, cui nullum fere iniuriae aut vitii genus non commode insertur, quoniam quidquid mali Romae committitur apte ab Umbricio inter emigrandi causas afferri potest. In partibus autem interdum satiricum cogitationibus abundantem aberrasse ab argumento proposito accuratius inspicientem non effugit.

Igitur ut facere non potest, quin verbo „mures" (207) addat adiectivum „opici" aut verbo „columbae" (202) adiectivum „molles", quod lepidum quidem, sed supervacaneum hoc loco [1]), ita cum de ludis in municipiis festo die editis dicat (172 ss.), longius in iis depingendis moratur (175 s.),

---

[1]) Horatii loci videtur memor fuisse c. I. 37, 18 „. . . accipiter velut mollis columbas aut leporem citus venator in campis nivalis Haemoniae . . .", ubi bene positum est adiectivum; ceterum bene et Iuvenalis v. 190 ss. municipiis illis suum cuique attribuit epitheton usitatum, quo iucundiora appareant.

quam toti loco convenit; neque enim de ludis ipsis dicendum erat, sed de togae usu.

Ubi cum nihil aut ad dilatandam aut ad augendam saturae vim egrediendo addiderit, aliis locis depingendo atque fusius explicando novas res assumit.

Incipiamus a loco admodum difficili, quem a Friedlaendero non satis explicatum esse doleo, 186—8:

ille metit barbam, crinem hic deponit amati;
plena domus libis venalibus: accipe et istud
fermentum tibi habe . . . .

Quod Iuvenalis contenderat 184 s. „quid das, ut Cossum aliquando salutes?“ duobus illustrat exemplis 186, quae sine dubio servorum s i m u l a t i o n e s referunt, quibus detinent vafri clientes, donec nummos accipiant; re vera neque ille barbam metit dominus neque hic amati crinem deponit (cf. Friedlaender ad v. 188; Sittengesch. I. 385). At quomodo hac cum re congruunt quae sequuntur „plena domus libis venalibus“? Deponit igitur re vera dominus pueri crines, quoniam in festi diei honorem liba cocta sunt, neque iam simulant servi? Tacent editores. Quamquam et hoc in loco sui similis est satiricus. Scilicet ubi de depositione capillorum dixit, quam servi per fraudem excusare solent, liborum ei in mentem venit, atque iam altera occasio extorquendi tributi servis data se obtulit; quam ut suum quoque in usum conferat atque bis eadem re utatur (cf. pag. 57), eadem, quae antea ficta a servis induxit, nunc pro vero substituit, ut egressione facta novum iniuriae documentum afferre possit. Nam de altera servorum insolentia agitur 187 s.; minime — ut perperam intellexit Mayor — gratuito clientibus dant liba — quid enim sibi velit cum illud „venalibus“ tum haec servorum liberalitas, ubi castigandos eos poeta sibi proposuit? —, immo vendunt neque admittunt qui non et placentam emerit [1]).

[1]) Verba „accipe — habe“ non a servo sed ab Umbricio sive poeta — nam alios loquentes addito dicendi verbo aliquo inducit Umbricius (103; 140 „fiet quaestio“; 153; 292) — clienti indignabundo dicta intellego verbis ita oppositis: „accipe et istud — fermentum tibi habe“ = „hanc quoque iniuriam perfer insuper; bilem iramque devora“. De „accipere“ = „pati“ vide Thesaurum linguae Latinae vol. I. p. 318.

Inter viarum tumultum turbamque 249—53 longissimum affertur agmen ad epulum properantium, neque abest a ratione loci, quod fumi densissimi, permagni convivarum numeri, ingentis servorum turbae inter ambulantium molestias mentio fit. Sed iam, cum foci illi a cocis vel servis translati inter luxuriae apparatus enumerari soleant (Sen. ep. 78, 23; 114, 26)[1], gulam insatiabilem[2] paucis tangere non omittit 251 ss., et ita quidem, ut universam huiusce saturae rationem secutus iniquitatem nec non commiserationem („infelix," „servulus" 253) simul excitet: namque culinam illam et vasa ingentia in voracitatis usum comparata ferri vult a servulo tenerrimo, cui vel currere tanto pondere imposito necesse est, ne cibi tepescant.

Cum denotet locum illum Numae memoria sacrum, quo cum Umbricio sese collocutum fingit v. 11 ss., retineri non potest, quin in saeculum parum verecundum veterisque religionis irreverens invehatur 13—16; similiter 6, 343 ex eo, quod Numae instituta nunc derideantur, demonstrat quam comminuta sit hominum pietas. Atque eo libentius monuisse de luco Iudaeis locato mihi videtur, quod Iudaei — ut ipse perhibet 14, 100 ss. — „Romanas soliti contemnere leges (cf. Friedl.) Iudaicum . . . servant ac metuunt ius": illis ipsis igitur locatur nunc Egeriae delubrum, qui quam maxime contemnunt Romanorum sacra ipsius Egeriae monitu a Numa instituta: ecce perversos saeculi mores[3]! Poterat pergere ut Varro 537 B. „haec Numa Pompilius fieri si videret, sciret suorum institutorum nec volam nec vestigium apparere". Neque quam semel tetigit aequalium mentem profanam statim dimittit, licet multo mitiora sint quae de spelunca profert 18—20; hoc quoque loco — comparatis praesertim versibus 11, 111 ss. 116 — antiquitatis laudatorem sentire mihi videor.

[1]) Schuetze p. 20. Qui tamen errat, cum magnum epulantium numerum Iuvenalem impugnare contendat; neque quem attulit Senecae locum de ira II. 33, 4 „iacebat conviva centesimus" intellexit; agitur enim de epulo Caesaris.

[2]) Idem Lucilius in collegiorum cenis vituperat, 438 M.; quo loco bene confirmari mihi videtur Wissowae interpretatio a Friedlaendero recepta (ad v. 249 ss.).

[3]) Similiter acerbissime opponit deam Pudicitiam et mulieres impudicissimas ad ipsius aram nefanda agentes 6, 308 ss.

Qui certe 312—14 cognoscitur. Ubi cum v. 309 ss. vomerem, marram, sarculum beatioris quondam saeculi instrumenta (cf. 15, 166 ss.) opposuerit huiusce temporis ferramentis, urbis Romae quoque aetatem quasi auream praesenti damnatorum affluentiae opponit, aetatem illam, cui unus iam carcer suffecit. Et lepide non ad ea nos revocat tempora, quibus omnino „poena metusque aberant" (Ov. met. I. 91); sic enim servato simul fundamento quasi omnium huius saturae colorum et cavet, ne nimia postulare videatur Umbricius ab urbe ferrea aetate condita, et perficit, ut ex inopinato festive quoddam dictum afferre sibi liceat: nempe in aliam certe laudem exire enuntiatum gravissimis verbis verborumque figuris ornatum tibi persuasum habebis, donec ad paenultimum ultimi versus verbum legendo perveneris.

Eidem opponendi amori, quem his in laudationibus temporis acti deprehendimus, vv. 261—7 sunt testimonio. Ubi si versui 260 statim adiunxisset quae 266 monet, apta rerum serie novo colore viarum periculum ingens descripsisset[1]); nunc vero contrariorum studiosissimus aliquantum egreditur. Nam primum delectatur opponens domini calamitati (260) servorum domi trepidationem irritam, qui domino parant balneum cenamque qua non iam eget (261—3) — gaudet poeta peritus ipse, quod hi nihil suspicantur de rerum commutatione, ut 6, 276 ridet mariti inscitiam —; deinde huic qua domi exspectatur curae rursus domini calamitatem atque miseram ad Cocyti ripam sedentis condicionem opponit (264—7), cum grata se obtulerit occasio, qua denuo subitam rerum conversionem illustraret: ita factum est, ut bis eadem re uteretur ad contraria suo more componenda. Quae 2, 149 s. de Stygio gurgite dixerat non curat; nam ut acriter componeret miserrimam infelicis sortem et iucundam quae eum domi exspectaverat condicionem lepide depictam, horridi illi subterraneae regionis colores optime adhiberi poterant.

---

1) Cf. 8, 97 „furor est post omnia perdere naulon", quod de obolo Charonti debito dictum agnovit Friedlaender.

Tum vero contrariis componendis, ut iam antea identidem vidimus, ita in egressionibus quoque utitur Iuvenalis ad iniquitatem acerbius illustrandam. Quod optime demonstrant vv. 212—22; neque enim damno est pauperi aut molestias affert, cum divitibus incendio afflictis succurritur; at inhumanitas, qua in pauperes eodem casu affectos agunt homines, et iniuria eo atrocior apparet: hunc ad finem totus locus affertur (cf. 7, 119—23: 124). Vili igitur supellectili, quam Codrus pauper perdidit, opponuntur eadem diligentia descripta[1]) quae Asturico diviti dono dantur pretiosissima; illum vel confectum fere fame summaque inopia nemo respicit, huic prima iam flammarum luce undique subsidio accurritur; iam vero Persicus ille „plura reponit" quam habuit antea, contra Codrus „perdidit . . . totum nihil". Ubi quod de Persico eandem addit sententiam acerbam, quam eadem in re Martialis III. 52, non mirum in poeta qui clamaverat „criminibus debent hortos, praetoria, mensas argentumque vetus . ." (1, 75); multiplicem vero Iuvenalis inventionem prodit illud „orborum": cum in orbos similiter dona conferentes certare soleant, statim hi quoque mores perversi satirico in mentem veniunt, quos in transcursu tangere liceat, sicut iam v. 120 orborum mentionem fecerat.

Eodem studio in egressione 131—6 — de qua postea iterum dicam — cum ingentes opes divitis liberti, quem captat ingenuus, illustraverit 132—4, a turpi nobilium adulatione, quam modo perstringere coeperat, subito deflectit et — quod minime exspectas hoc loco — opponit tenues Umbriciorum facultates 134—6. Ubi tamen, quia quam accuratissime contraria componere vult, miro, quantum equidem

---

[1]) Libros et forulos donari vult Iuvenalis, quia in Codri poetae frivolis enumeraverat veterem quae libros servat cistam. Unde si licet coniecturam facere, et signa illa ideo afferuntur, quod respondent nescio cui Codri supellectili; atque iam Chironem illum (205) recte vile signum, quo cubiculum ornetur, Friedlaenderum intellexisse probabile est. Ceterum exspectaveris certe non signa ornamentaque tantum enumeraturum esse poetam, sed mensas quoque pretiosas vel lectos, vestes, vasa, talia. At contrariis etiam parvis in rebus studens facere non potuit, quin marmoreis illis signis opponeret aënea, Minervaeque Romanorum deae, quae apte una cum libris nominari potuit, Asianorum deorum ornamenta.

intellego, ad demonstrandam pauperis egestatem iniuriamque ei illatam argumento utitur; quasi vero summo iure postulare possit, ut sibi parati sint nummi, quibus meretriculam et eam melioris notae sibi conducat! Idem Martialem protulisse (III. 30, 4)[1]) me non fugit; sed quae lascivum hominum irrisorem decent, non decent severum morum inquisitorem.

Iam graviores opponendi amoris poenas Iuvenalis solvit cupidissimus iniquitatis illustrandae v. 92. Etenim cum adulandi modos a Graeculis adhibitos enumeret, in miram sententiam exit (92):

> haec eadem licet et nobis laudare, sed illis
> creditur . . . .

Minime ergo dubitat concedere iisdem adulandi artibus uti solere Romanos, quas modo Graecis ignominiae criminique dat, dummodo parem opponat laborem fructui non pari atque iniqua lege Romanum tractari doceat; vel ea ipsa, quae paucis ante versibus Umbricius numquam se facturum esse contendit (v. 41 „librum si malus est, nequeo laudare"), nunc, cum huiusce loci ratio postulet, et ab Umbriciis fieri non iam negat poeta (v. 84 „laudat sermonem indocti . . . amici . . ." „. . . haec eadem licet et nobis laudare . . .").

Non iam tantopere iniquitas premitur in egressione v. 126—30: nova enim materia exstinguitur quasi, antequam fusius exponatur; nam vide, quam velociter alterum argumentum sequatur alterum. Scilicet cum de Graeculis clientibus Romanorum aemulis poeta quereretur 125, apta ei visa est occasio de aliis clientelae taediis loquendi. Atque primum, quasi labores illos clientium salutantium enumerare vellet, tres deinceps profert res, quas simili loco 5, 76 ss., aliquantum tamen acerbius depictas, item colligit: nocte eundum, toga molesta induenda, summa contentione currendum est (127 s.); tum vero, priusquam fusius has tractat molestias, eadem ratione, qua 1, 100 ss., nobilem quendam salutatorem pauperi opponi posse occurrit satirico, ut ab ea quoque parte

---

1) „Sportula nulla datur . . ." Unde tibi togula est et fuscae pensio cellae? Unde datur quadrans? und vir es Chiones? . . .

ab obtrectatoribus turpissime circumveneri miserum appareat; et iam optima se obtulit occasio iniquitatis demonstrandae, si — velut postea fecit v. 239 ss. — pauperis labori opponere vellet commodam multoque celeriorem proficiendi rationem, qua dives fruitur. At alio se vertit poetae studium: non iam pauperis divitisque contentioni iniquae describendae dat operam, sed divitum inter se aemulationi castigandae (130); simul ut turpior eorum appareat adulatio habeatque, quo iterum tangat sordidum captandi morem, non ad quosvis patronos eos salutaturos adire vult, sed ad orbos vel rectius orbas vetulas [1]), quippe in quibus multo sordidius famosiusque est captandi studium (cf. quomodo argumento usus sit 1, 37 ss.): ad has autem salutantem ire quoniam pauperem certe non sibi finxit, non iam curare poetam contraria modo inter se composita manifestum est.

Et in quam exiit totus locus notandam divitiarum adorationem indignam, cui nobiles indulgent, alio exemplo tractare altera deinceps egressione incipit poeta 131. Egredi dico eum, quia hic, ni omnia me fallunt, non aemulum pauperi esse ingenuorum filium indignatur, sed quod oblitus plane, quid generi suo debeat, turpissime, propter nummos, honoribus prosequitur hominem multo humiliorem: hoc multum quidem ad poetam satiricum mores castigantem, nihil ad Umbricium pauperum fortunam miseram conquerentem. Ut libertino potissimum inservientem faceret ingenuum, eodem fere sententiarum nexu accidisse, quo 1, 102 praetori succedentem induxit libertum, iam dixi. Cuius divitias cur paulo singulari ratione depingat, nemo non videt: utitur occasione perstringendi et libidines effusas et nobilium feminarum mores corruptos.

[1]) Quas cum universe notaverit („vigilantibus o r b i s"), singularum nominibus prolatis accuratius significat („Albinam et Modiam"), ut aliis locis facere solet: „cum tibi vestiti facies s c o r t i placet, . . . dubitas . . C h i o n e m deducere" (3, 135); „dicite, . . quae l u d i a sumpserit . . hos habitus, quando ad palum gemat u x o r A s y l i" (6, 266); „inguina traduntur m e d i c i s . .; ergo . . testiculos rapit H e l i o d o r u s" (6, 370); „quod non dant p r o c e r e s, dabit h i s t r i o. tu C a m e r i n o s et B a r e a m . . . curas? praefectos P e l o p e a facit, P h i l o m e l a tribunos" (7, 90); „quid enim u l l a negaverit udis inguinibus, sive est haec O p p i a sive C a t u l l a?" (10, 321).

Similiter alio quoque loco non satis respexisse Iuvenalis mihi videtur neque, quemnam loquentem induxisset, neque, qua condicione et quo loco argumentum proferret. Etenim cum v. 168 optima ut supra monui rerum serie ad cenarum supellectilem transierit, quo victus urbani caritatem probaret, mirum in modum dicit „fictilibus cenare pudet, quod turpe negabis...“ Bene res se haberet, si contenderet velut 147 ss. „si fictilibus cenas Romae, ridiculus aliis evadis; pretiosiora igitur paranda sunt, ne materiam iocorum praebeas“; at nunc ipsum pauperem turpe putare sibique ipsi contemptui fieri, si fictilibus utatur, affirmat. Quid? cum ipse Umbricius eodem versu et sequenti, quam stulte hoc sit factum, demonstret, idem urbem, urbanae vitae caritatem incusare audet, ubi ipsorum pauperum atque sui ipsius insana inanisque opinio in causa est? Apparet non in iniquitatem urbis hac ratione increpari posse, sed in luxuriam hominum (cf. 14, 185 ss.); quam tamen quoniam pauperibus exprobrare Umbricii certe non est — licet ipsi poetae urbanorum errores castiganti suo loco facile concedatur — et omnino huic rerum nexui non aptum, non satis cavisse Iuvenalem, quomodo et quo loco insereret argumentum, perspicuum est.

Minus offensionis habent vv. 180 ss., et hi in luxuriam invehentes. Nam, ut supra dixi, non vilem tantum victum demonstrare voluit poeta, cum laudaret, quod municipiorum incolae omnium ordinum numquam toga utuntur, sed morum simul simplicitudinem modestiamque; cui animi virtuti cum rerum condicione secunda coniunctae quod animi vitium opponit una cum rerum condicione adversa, non mirum certe est in poeta, quem totiens contrariorum sectatorem cognovimus: simplicitati ergo rusticae opponit luxuriam urbanam, quam notat verbis illis „nitor“ (180) et „ambitiosa paupertas“ (182 s.). Haec vero luxuria ipsis pauperibus exprobrata („vivimus omnes“), licet alii loco melius accommodata sit, ideo facilius admittitur, quod nemini dubium est, quin non suopte lautitiae ostentandae studio indulgentes, immo ipsarum rerum necessitudine coacti clientes toga sumptuosa utantur: quandoquidem lege quasi sanctum est, ut togati

adessent salutationi, non per eos stat, ne simpliciore vestitu se contineant, neque tam in pauperes cadit vituperatio quam in urbis condiciones duras.

Nonnullae egrediendi occasiones se obtulerunt, ubi de peregrinis Romae versantibus queritur Iuvenalis; nam licet in iis castigandis hoc sibi proposuerit demonstrandum summoveri Romanos a Graecis impudentibus, tamen alia quoque interdum tangere, quae iis obici possint, non contemnit.

Mores igitur Romanorum effeminatos atque corruptos esse peregrinorum moribus oblectamentisque illatis non omittit monere 61—9, ut ipse quoque afferat, quae a Catonibus vitio dabantur Graeculis; similiter 6, 298 quamquam argumentatione paulo mutata peregre in urbem irrupisse luxuriem turpem clamat, eiusdemque saturae versibus 185 ss. [1]) collatis intelleges, quid sibi velit illud „linguam" v. 63; de indecoris peregrinis fidium generibus, psalteriis et spadicis — quorum illa inter luxuriam ex Asia invectam enumerantur apud Livium XXXIX. 6, 7 — Quintilianus quoque queritur inst. or. I. 10, 31; iam vero gymnasia, mollitiae palaestrae, saepissime impugnabantur a censoribus morum: videas Varronis, Senecae, Plinii, Taciti locos apud Friedlaenderum, Sittengesch. II. 487, et Marquardtum, Privatleben p. 117 s., 122 adn. 6; nec non Horatius (sat. II. 2, 10 ss.; cf. acerbiora carm. III. 24, 54 ss.) carpit in transcursu iuvenes „graecantes". Ubi, quo est contrariorum amore, Iuvenalis facere non potest, quin uno saltem verbo („rusticus ille tuus") priscam illam pastorum Latinorum (2, 127) simplicitatem opponat delicatis huius temporis moribus, eodem nimirum consilio, quo multo post, sat. 14, 185 ss., Marsum vel Hernicum Vestinumve senem inducit opponentem rudem agrestium vestitum et peregrinam purpuram:

„nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
per glaciem perone tegi, qui summovet euros
pellibus inversis: peregrina ignotaque nobis
ad scelus atque nefas, quaecumque est, purpura ducit".

[1]) Quo loco ut vetulam v. 192 certo annorum numero denotet Iuvenalis, fortasse Horatii imitatione factum esse Kiessling adnotat ad Hor. s. II. 3, 117.

Quod v. 93—100 tam multis loquitur de insita Graecorum arte comoediarum partes agendi, non solum ideo fecisse mihi videtur, ut mirabilium adulandi artium causam repeteret, sed ut simul occasione data naturam homunculorum levissimam atque ab omni Romana gravitate longe remotam corriperet, nec non mollitiam histrionum in muliebrem plane naturam redactam, quam v. 95—7 summopere auctam colore haud verecundo depingit. Haec vero omnia non tam Umbricium monere par est quam poetam ipsum non personatum.

Ipsa forma enuntiati egredi se concedit poeta vv. 114-8. Ubi cum exemplo iam sat gravi demonstraverit, quanta audacia in familiam amici grassari amicus Graecus non dubitaret, alterum multo foedius talis amicitiae documentum adiungi posse ei occurrit, sed hoc quoque Umbricio intolerabilem insinuandi vim Graecorum depingenti minus accommodatum. Quod tamen argumentum quocumque modo afferre studuisse satiricum non mirum: habebat iam occasionem denuo invehendi in p h i l o s o p h o s illos simulatores, quos acerbissime laceraverat ineunte satura secunda; simul talem ei suppeditabat atrocitatem morumque perversitatem ipsa iam res quemadmodum gesta est, quam magno studio adhibito in satura prima eum congessisse vidimus (pag. 16). Omittit igitur nomen quidem delatoris, quod nihil ad rem satis iam illustratam Bareae nomine, sed non omittit notare neque aetatem („senex") neque disciplinam rigidam („stoicus") neque monere — quo acerbius appareat facinus simillimum illi, quod 1, 33 attulit —[1]) vel amicum delati atque adeo magistrum sapientiae ac virtutis fuisse delatorem. Huius vero loci uno complexu brevissime ingentem sceleris copiam contorquentis effectus et vis aliquantum minuitur multis additis verbis, quibus patriam Celeris docte doctis significare suo more (cf. Friedl. ad 1, 25) poeta gaudet. Similiter v. 79—80 facere non potuit, quin versuum 76—8 enumerationi artificiorum concitatae et circumcisae, quae optime finitur

[1]) Clientem scilicet eius quem detulit Celerem quoque fuisse apparet ex loco Taciti ann. XVI. 32.

(cf. p. 46 adn. 1) incredibili illo „in caelum . . ibit“, adnecteret effusam de Daedalo eiusque patria adnotationem.

Harum igitur egressionum cum nonnullas neglecta loquentis persona induci viderimus, transeamus ad locum, quem aptum quidem ori Umbricii neque tamen totius saturae consilii ratione habita proferri crediderim. Vv. 54—7 scilicet hortatur Umbricius amicum, ne vel splendidissimi praemii gratia facinore commisso timore et scelerum conscientia excruciari velit: iam vero quoniam non nisi hoc damnoso pretio persoluto potentiorum amicitiae comparantur (v. 49 ss.) atque proficitur Romae, bene Umbricius hoc inter emigrandi causas afferre potuit. At universum spectanti mihi neque huius saturae — conferas quae de prima dixi pag. 28 — videtur esse docere, quali p o e n a afficiantur scelesti; quod si sibi proposuisset poeta demonstrandum, nonne gauderet potius perdito Graeculorum insinuandi studio, quippe quos gravissimum pati necesse esset, quoniam re vera scelerum conscii fieri student „atque inde timeri“ (113)? Ubi tamen id maxime studere satiricum manifestum est, ut hanc esse summam rerum iniquitatem appareat, quod scelestis illis tam f e l i c i t e r succedit: tollit ergo poeta ipse v. 54 ss. poena incepti ante oculos posita quam succensurus est iniquitatis iram. Talia vere quomodo accidere possent, similem primae saturae locum tractans pag. 28 exponere conatus sum; ut illic secutus est Iuvenalis auctores, qui, ut a l u x u r i a d e h o r t e n t u r, mala eius depingunt, ita hic de conscientia locuto (49—54) talium intempestive in mentem venit locorum, quales de peccantium poenis praemonendi causa ex. gr. Seneca exhibet (ep. 105, 7. 8; 97, 14 s.) vel alii scriptores praebent, quorum vestigia item premit Iuvenalis sat. 13, 174 ss., cf. inprimis ib. 193—8, 217 ss.

III.

De satura quinta.

Quam paucis versibus sat. 1, 95 ss. tetigerat clientium condicionem miseram pertractandam atque amplius describendam quinta satura sibi proposuit Iuvenalis. Cuius argumenti forma optima ei visa est convivii descriptio, quam maximae apud saturarum scriptores Romanos gratiae fuisse eo demonstratur, quod nemo fere eorum omisit accurata narratione conviviorum rationem nec non convivarum consuetudinem moresque carpere (cf. Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtung III. 161).

Lucilius quidem quomodo rem instituerit, valde dolendum est quod non iam dinoscere nobis licet; videmus tantum ex eo tempore, quo saturas scribere coepit, usque ad ultimi temporis libros talia ab eo dilecta esse argumenta: in tricesimo libro sordidam cenam accuratius descriptam esse declarant v. 1060 ss. M.; simile videtur fuisse argumentum saturae libri VI. (cf. 249—53); rusticam cenam derisit Lucilius in libro V. Charisio teste (cf. 193 ss.)[1]; vicesimo denique et vicesimo primo libro (cf. Marxii proll. p. XLIX.) Granii praeconis cenam lautissimam enarravit, quam bis a poeta tractatam esse Cicero testis est (Brut. 160); addas incertae sedis frg. 1107/8. 1174—6. 1181/2. 1183: sed quodnam uniuscuiusque saturae fuerit consilium non habeo unde intellegam.

Neque de Varronis saturis melius iudicari potest, nisi quod nusquam e fragmentis, quantum equidem vidi, apparet hoc consilio de conviviis eum egisse, ut, quae inter convivas consuetudo intercederet, facete exponeret, nisi illam cui inscripsit „Nescis quid vesper serus vehat“ (333—340 B.) saturam huc spectasse putes: at de argumento totius saturae nil certi constat (cf. R. Helm, Lucian und Menipp p. 265),

[1]) In vv. 195, 223—5 interpretandis ne nimis sibi confidat editor sagacissimus vereor.

neque, quam rationem secutus sit Varro in satura quae Ὑδροκύων inscripta erat, scio; illa certe, qua περὶ ἐδεσμάτων agitur satura, „cenarum ciborum exquisitas delicias comprehendit“ Gellio teste, Menippi more in luxuriam gulosorum invehens (cf. Hense, mus. Rhen. LXI. 1906, 1 ss.).

Lucilii vestigia et hac in re pressit Horatius, cum sat. II. 8 Nasidieni cenam describentem induceret Fundanium, ipso loco, quo posuit saturam, Lucilium fortasse imitatus (cf. Marxii proll. p. XLIX.)[1]). Persius quidem neglexit argumentum in saturis quas ut conscriberet fatum permisit; sed eadem aetate Petronius Trimalchionis cenam prosecutus est descriptione, qua non habemus ampliorem, accuratiorem, ingeniosiorem. Martialem nulli fere vitae consuetudini parcentem de conviviis quoque lusisse non mirum. Quibus addere liceat Graeculum Romanas res nonnumquam acutissimo stilo carpentem: Lucianus in Saturnalibus et in libello de mercede conductis talia tangit[2]); copiose de convivarum sordidorum moribus egit in „Convivio“.

His conviviorum descriptionibus comparatis duo potissimum genera esse apparet: aut d o m i n u m cenae irridendum praebet satiricus aut c o n v i v a r u m mores perstringit, aut invitantem maxime carpit aut invitatos: huic generi attribuas Luciani „convivium“ et Saturnalia 38 (cf. Nigr. 22) et Martialis epigrammata II. 37; VII. 20; VIII. 59. 67; XII. 28. 29; illi Horatii et Petronii saturas, Martialis epigr. I. 18. 20. 43; II. 43, 11 s.?; III. 12. 13. 45. 49. 50. 60. 82. 94; IV. 68. 69. 85; VI. 11; VIII. 22; IX. 2, 3—6. 25; X. 49., Luciani quae in Sat. 17. 18. 21. 22. 28. 32. 33 et in libello de mercede conductis 26 affert; nec non Lucilii versus dominum inprimis carpsisse mihi videntur. Iuvenali quoque, quippe quem

---

1) Eadem narrandi forma iam Lucilium usum esse docet v. 1060 „unus consterni n o b i s, vetus, restibus aptus“.

2) Non persuasisse mihi Rudolphum Helm, qui in libro „Lucian und Menipp“ (1906) p. 218 ss. a Iuvenale pendere satiricum Graecum contendit, exposui in libello „Iuvenes dum sumus, Aufsätze . . der 49. Versammlung deutscher Philologen u. Schulm. zu Basel dargebracht von Mitgliedern des klass.-philol. Seminars“, 1907, p. 18 ss. (Cf. Ausgewählte Schriften des Lucian, erkl. v. Sommerbrodt, 2. Bändchen, 8. Aufl. v. R. Helm, Berlin 1907, p. VII.).

clientium causam sustinere animus cogeret, dominus castigandus erat; sed non talem castigandum sibi elegit, quales priores saturarum scriptores tractaverant. Etenim non una est ratio huius generis: describitur aut sordidus dominus (apud Lucilium 1060 ss. 251. 1107. 1108; Martialis Tucca I. 18, Mancinus I. 43, Fabullus III. 12? Naevia III. 13, Rufus III. 94, Gallicus VIII. 22? Caecilius XI. 31) aut sumptuosus, lautus, comis, sed ineptus, fatuus, garrulus (Nasidienus, Trimalchio, Ligurinus Martialis III. 45. 50) aut aliis sordidus, sibi sumptuosus (Martialis Caecilianus I. 20, Candidus II. 43, 11 s., dives III. 49, Ponticus III. 60, IV. 85, Zoilus III. 82, Sextus IV. 68, Marcus VI, 11, Lupus IX. 2, 3—6, Cotta X. 49; Luciani divites).

Quorum quodnam genus Iuvenalis ingenio aptius fuerit, haud dubium est: quem talia inprimis sectari vidimus, quibus summa contumelia ac iniuria affici homines tenues, modestos, probos a potentibus, superbis, sceleratis appareat, non potuit melius in suum usum convertere formam a prioribus traditam, quam fingens dominum divitem, qui ipse quidem omnibus lautitiis fruitur, convivis pauperibus vero vilissima quaeque ponit: habet iam satiricus, quae iniuriam pauperibus illatam ante oculos ponant, habet, quae divitibus crimini dari possint, habet iam, ubi indulgeat contrariorum opponendorum gaudio. Iam vero augetur atrocitas rei atque acerbitas saturae eo, quod non convivas quoslibet tali superbia et iniquitate tractari videmus, sed clientes, quibus patronum pro officiis cenam exhibentem poeta facit; quo fit, ut simul et illud novo exemplo illustrare possit, quod prima iam (132 ss.) et tertia (21 ss., 124 ss.) satura tetigerat, scil. iniuriam iis inferri, quos praemio affici aequum erat.

Fingit[1]) ergo Iuvenalis eadem, qua et in sexta septimaque satura conscribenda uti placuit ratione, monere sese Trebium quendam, ne quam sibi appetierit clientis condicionem diutius experiri velit; quod ut ei persuadeat, vividis coloribus depingit et quasi commentario satirico instruit

[1]) Et ita retinuit hanc disserendi rationem, ut ultimi certe saturae versus paene tibi persuadeant clientem magis quam patronum perstringi.

cenam, cui Trebius cliens a Virrone patrono adhibeatur; qua in cena enarranda ut quam maxime iniquitas appareat, et clientis in patronum merita summopere auget et quae patronus clienti largiturus est omni modo depravat, nec non aliis rebus tibi persuadere studet probissimum esse clientem, improbissimum patronum.

Primum igitur non praetermittit occasione oblata labores, qui clienti pro patrono suscipiendi sunt, magna nonnumquam colorum vi instructos referre, ut, si audiveris, quantum molestiae ille subierit, exspectes sane neque hunc suis invicem opibus temperaturum esse; atque tum solet talia inserere, cum gravissimas contumelias descripturus est: cf. v. 13 „mercedem solidam veterum capis officiorum", v. 64 „veteri clienti", v. 15 „duos post . . menses", v. 19—23

habet Trebius propter quod rumpere somnum
debeat et ligulas dimittere, sollicitus ne
tota salutatrix iam turba peregerit orbem,
sideribus dubiis aut illo tempore quo se
frigida circumagunt pigri serraca bootae.

inprimis 76—79 [1]) omnia fere quae de salutandi molestia dicebantur in unum contulit, nimirum ipse expertus (Mart XII. 18): „relicta coniuge", nam salutaturo mane surgendum est e lecto molli neque uxori otiose accubare licet [2]); „per montem adversum", nam alia atque dominus longeque remota regione urbis habitare solent clientes: via igitur clivosa, magni laboris, multi temporis (cf. Mart. V. 22, 1—8; XII. 18, 4—6; Luc. Nigr. 22); „per . . gelidas cucurri Esquilias, fremeret saeva cum grandine vernus Iuppiter et multo stillaret paenula nimbo", nam quaecumque iniquitas tempestatis sufferenda: frigor, ventus (Mart. X. 82, 3 s.; cf. Hor. sat. II. 6, 25), nimbi (Mart. XII. 26, 10; X. 82, 4) atque viarum lutum (Mart. V. 22, 6; XII. 26, 8), molestia pallii umore madidi atque gra-

[1]) Quibus versibus simul apte interrumpitur rerum enumeratio, antequam ad singula fercula describenda transitur.

[2]) Cf. Mart. III. 36, 3; X. 70, 6, X. 74 etc.; Luc. Nigr. 22, Necyom. 12. Feliciter Iuvenali contigisse puto, quod coniugis mentione facta novum neque illepidum colorem addidit rei a Martiale iisdem fere semper verbis tractatae.

vati[1]); „cucurri“: vides summam clientis diligentiam, contentionem, summum studium solliciti „ne tota salutatrix iam turba peregerit orbem“ (21).

Deinde diligenter ea, quae clienti culpae dari possint, removet atque adeo patrono in crimen vertit. Ne credas convivarum nimio vini amore factum esse, ut rixarentur et proeliarentur inter se (25—9) — id quod iure certe domini aegre ferebant —, tale iis vini genus poni facit, ut, qui biberit, turbata mente furere atque insanire incipiat: „de conviva Corybanta videbis“; quem ergo proelii vulnerumque auctorem compellemus, nisi dominum, quippe qui tam perniciosa poni iusserit? — Ne nimia postulare clientes putes, prioris temporis patronorum[2]) memoriam facit (108 ss.), ut haud eadem a patronis nunc peti doceat, quae illis temporibus clientes exspectaverint. — Ubi exponit, quid fiat, si quis indignatione commotus vocem tollere audeat (125 ss.), clientem timide summisseque loqui („hiscere“), supplicium vero rustice ac vehementer sumi facit („velut ictus ab Hercule Cacus“). — Vv. 72—5, ubi monet, ne quis audeat panem dominicum arripere conviva secundae notae, non inducit clientem re vera talia conantem — scilicet, qui tantum in convivii mores peccaverit, iusta poena affici videri possit —, sed appellat Trebium, ut c o g i t a t i o n e sibi depingat, ut sibi f i n g a t se haec ausurum esse; neque dicit „finge te improb u m“ sed „improb u l u m“, ut ipsa iam verbi forma minor appareat culpa.

Illud quoque huc spectat, quod cardiacum fingit clientem (v. 32), eo ipso igitur morbo affectum, quem Luciano teste[3]) patroni excusare solent, cum meliorem notam sibi

---

1) Rectius fortasse Martialis togam molestam nominare tibi videtur XII. 18, 5; V. 22, 11; sed bene Iuvenalis sententiam expressit Mayor ad. v. „paenula“ v. 79: „to run in a dress so tight and so heavy was an additional grievance“.

2) Ceterum notandum est inter eos nominari Pisonem et Cottam, quorum illum „levitati ac magnificentiae et aliquando et luxu“ indulsisse, hunc — siquidem idem est — „per luxum avitas opes“ dissipavisse Tacitus refert (Ann. XV. 48; XIII. 34): quos suo iure ut sumptuosos atque prodigos alio loco castigare posset, hic summis laudibus efferre non pudet satiricum.

3) Sat. 17 *μηδ᾽ ἔστω πρόφασις τῷ πλουσίῳ ἢ στομάχου ἢ κεφαλῆς ὀδύνη, ὡς μόνον δὶ αὐτὴν πίνειν τοῦ κρείττονος.*

assumant. Auget hoc sane patroni culpam, qui, cum ipse vino abundet, ne aegrotanti [1]) quidem paululum suppeditet; at alia lege convivam, alia dominum a satirico tractari manifestum est, quoniam hunc quidem integra valetudine uti, illum vero stomacho laborare vult; quod clientium proprium certe non est, sed additur poetae arbitrio, quo gravius dominum accuset.

Summum vero studium Iuvenalis collocat in domini avaritia, malignitate, sordibus ipsis depingendis atque exaggerandis; quas ut Trebio ante oculos ponat, ab ovo fere usque ad mala totum convivii apparatum ferculaque singula servato cenae ordine ita tractat, ut optima quaeque domino, vilissima clienti apponi doceat. Et hoc quidem quasi stamen totius saturae nunc prosequamur; cui quae cuiusque coloris subtemina inseruerit poeta postea inspiciamus.

Atque primum operae pretium est secum reputare, qua ex ratione cum domino intercedenti Iuvenalis fieri velit, ut clientes ad cenam invitentur. Nam cum legeris huius saturae versus 12—23 (conferendi sunt v. 76—79), sine dubio credes, et d e b e r e dominum clientibus talem cenam neque officiorum, quae clientes domino praestare solent, ullam esse praeterea mercedem, hoc solum pretium iis solvi [2]), neque id cotidie, sed cum domino placuerit, intervallo fortasse longo interiecto. At aliam fuisse clientium condicionem inprimis Martialis nec non ipse Iuvenalis nos docent (cf. testimonia apud Friedlaenderum, Sittengesch. I.^{6} 381, 438 s. et Marquardtum, Privatl. p. 204 ss.): nam cum acciperent sportulam centum quadrantium et haberent cotidie, dummodo salutandi officio fungerentur, unde ipsi sibi cibum pararent, non iure postulare poterant, ut ad cenam patroni vocarentur, immo beneficio domini egregio factum esse, cum „recta“ daretur, Martialis VIII. 50, 10 testatur — quamquam de epulo publico agitur —:

[1]) Et eo quidem morbo, quem nihil nisi vinum sanare posse Plinius refert h. n. XXIII. 50.

[2]) Quod bene intellexit scholiasta ad v. 12 . . „si iusserit ut recumbas, putat se in hoc totum solvisse, quicquid umquam obsequiis meruisti“. Cf. Friedl. ad v. 19.

„Grandia pollicitus quanto maiora dedisti!
Promissa est nobis sportula, recta data est.“

(cf. Mart. VII. 20, 1—3 cum adnotatione Friedlaenderi); eadem est gratia ac si togam vel paenulam vel nummorum aliquid largitur ultra sportulam (cf. Friedl. l. l. 381; Marq. 207). Iam vide satirici artes: quoniam non nisi beneficio patroni fieri potest, ut cliens cenae adhibeatur, quocumque modo dissimulat[1]) minuitque domini benignitatem saturae consilio haud aptam. Primum igitur silentio transit extraordinariam esse hanc clientis mercedem, cum potius tibi persuadere studeat, nihil aliud nisi cenam aliquando miseris pro officiis omnibus reddi; deinde patrono in crimen vertit, quod rarius ad cenam vocat: quod tum quidem iniuste certe factum, si una cena tot officia remuneratur, sed, si beneficii et honoris causa convivium exhibet, consuetudini vitae plane consentaneum (cf. ipsius Iuvenalis v. 11, 208 „voluptates commendat rarior usus“) neque in tanta multitudine clientium vituperandum. Tum contendit hac sola ratione patronum moveri, ut ad cenam invitet (17),

tertia ne vacuo cessaret culcita lecto:

non ergo, ut benevolentiam praestet vel gratias referat, vocat clientem, sed ne qui lecti locus vacet atque muneri suo desit: non clientis sed lecti gratia invitat; accedit, quod illum in triclinio locum clienti attribui Iuvenalis vult, qui minimi aestimatur, imus scilicet (sine dubio in imo lecto, cf. Friedl. ad l.). Iam vero multo acerbiora[2]) profert satiricus in ultimis saturae versibus 157 ss.:

hoc agit ut doleas; nam quae comoedia, mimus
quis melior plorante gula? . . .

Non igitur ut praemium meritum accipiat, ad cenam vocari clientem apparet, sed ut amplius serviat patrono, et serviat quidem contumeliosissime, quia indignatione convivae miseri oblectare se gestit patronus haud aliter ac si comoedos spectandos locavisset.

---

[1]) Cf. p. 52 adn. 2.

[2]) Et Martialis illud longe superatur atrocitate IV. 68: „Invitas centum quadrantibus et bene cenas. Ut cenem invitor, Sexte, an ut i n v i d e a m?“ Ubi verbis „invitas“ et „invideam“ in initio et in fine epigrammatis positis ludere poetam monere fortasse non inutile fuit.

Cenae ipsius descriptio incipit a vino (24—37); et ita quidem domini convivarumque vinum distinguere solent auctores qui hac de re agunt, ut vel quando diffusum vel ubi natum sit, vel quem habeat saporem vel quem colorem referant; cf. ex. gr. Mart. III. 82, 22; IV. 85; X. 49; Luc. Sat. 22 extr.; de merc. cond. 26 extr.. Similibus coloribus usus Iuvenalis quam acerrime vini genera inter se opponit: una tamen re Martialem acerbitate superat. Etenim cum ille talibus locis vilissimae quoque vini notae suum cuique nomen attribueret (cf. Paelignum I. 26, 5; XIII. 121; Vaticanum I. 18; X, 45, 5; Veientanum III. 49; Tuscum IX. 2, 6; Sabinum X. 49, 3; Massilitanum XIII. 123), Iuvenalis ne nomine quidem dignum putavit vinum quod clientibus poni finxit; immo quale sit duobus exemplis demonstrare ac depingere maluit (24—9). Quorum altero („de conviva Corybanta videbis“) quam apte satiricus usus esset, ut a clientibus in patronum odium verteret, iam supra dixi; alterum („vinum quod sucida nolit lana pati“) Friedlaenderum non satis explicavisse Klebsio (p. 606 editionis Friedl.) concedo, etsi quam ipse profert opinionem [1]) non sequi possum, cum recte mea sententia Mayor [2]) rem absolverit collato loco Plinii h. n. XXIX. 30 „sucidae [lanae] plurima praestant remedia ex oleo vinoque aut aceto...“; cui addo Vegetii art. vet. II. 41 „..lanas quoque sucidas ex oleo et vino infusas supra convertes...“, ib. 46 „..lanam sucidam ex oleo et aceto infusam imponis..“: apparet consuesse antiquos inungere lanam sucidam non solum vino — neque optimum adhibitum esse verisimile est — sed etiam aceto, prout morbi ratio poscebat; acetum igitur, hoc est vinum nimia acerbitate corruptum, patitur lana, sed non iam patitur quod clientibus ponitur vinum, si Iuvenali credis. Quid ergo? nonne manifestum est tale esse eius vini genus, ut aceto acidius et acrius videatur?

[1]) „Bei Varro heisst es weiter „tonsas recentes eodem die perungunt vino et oleo.“ Sollten also nicht die oves sudantes metonymisch mit lana sucida gemeint sein?“

[2]) Erravit vir doctissimus, cum vol. I. p. 420 Varronis loco de re rust. II. 11, 7 insereret verbum „lanas“; ubi non agitur de lana sed de ovibus tonsis.

Clientis vino opponitur domini v. 30—37 [1]). Cuius vetustatem ut describat, non contentus esse videtur Iuvenalis Opimiano, quod Martialis afferre solet (III. 82, 24; X. 49; cf. Petr. c. 34, 6): primis rei publicae temporibus, „capillato consule" vinum dominicum diffusum vult, talia aemulans, qualia protulit Martialis III. 62, 2 „sub rege Numa condita vina", vel lepidissimum illud XIII. 111, 2 „condita quo quaeris consule? nullus erat"; addit aliud („bellis socialibus natum") et hoc abunde vetustum [2]); neque tamen satis se attulisse putat, quae legentibus stomachum moverent: iam enarrat, quae vina proximo die patronus potaturus sit, vetustissima scilicet optimae notae. Hoc mirum fortasse et supervacaneum videtur, quoniam non id interest scire, quod vinum cras bibat, immo quod ipso convivii die ante oculos convivarum potet. At concedes certe maiorem apparere domini culpam, cum audiamus tantam vini optimi copiam ei suppetere, ut cotidie potare liceat: eo turpius factum videbitur, quod convivis ne hoc uno convivii die quidem meliore nota frui permittit.

Sed non solum vinum, immo vel aquam aliam domino aliam clienti poni facit (49—52) — quod Martialis nusquam monet —: iam quid superbius patrono qui ne aquam quidem, rem omnium vilissimam (Hor. s. I. 5, 88), eandem convivis quam sibi ponit?

Poculis distare inter se dominum et convivas etiam Martialis Lucianusque referunt: primum quantum ad magnitudinem (cf. Luc. sat. 22 *προειπεῖν . . τοῖς οἰνοχόοις . . ἀναδοῦναι μεγάλην κύλικα ἐμπλησαμένους ὥσπερ τῷ δεσπότῃ*), deinde quantum ad materiam, quamquam hac in re mirum quantum dissentiunt testimonia scriptorum. Nam miserrimo illi quem

---

[1]) Re vera non omnibus convivis idem vini genus positum esse cum per se non sit mirandum, praeter Plin. h. n. XIV. 91 testimonio haud suspecto docet Plin. ep. II. 6; hic tamen, qui Plinio bilem movit, vilissimum vini genus non „minoribus amicis" sed libertis posuit.

[2]) Iure monent editores usum esse Iuvenalem Horatii loco carm. III. 14, 17 ss. „i pete unguentum, puer, et coronas et cadum Marsi memorem duelli..."; qui tamen locus non feliciter poetae in mentem venisse mihi videtur; nam cum Horatius quidem haberet, cur Marsi potissimum belli vinum sibi posceret (cf. Kiessl. ad l.), Iuvenalis melius multo vetustius sibi finxisset vinum Martialis potius exempla secutus. Cf. simile quid p. 54, adn. 1; p. 86, adn. 3.

Lucianus describit in libro de mercede conductis, cum iam inclinaverit se fortuna atque plane conversa sit, nihilominus aurea vel argentea pocula sibi sumere licet (26 extr.); et Martialis, ubicumque hanc rem tangit, non tam poculorum quam vini diversitatem carpit (IV. 85; X. 49; III. 82, 22-5). Iuvenalis vero neque hanc domini castigandi occasionem dimittendam putavit. Quamquam quae de magnitudine poculorum dici possent, non prosecutus est; nam pateram patroni quidem capacem esse expressis verbis refert (p. 37); dum vero nonnullis versibus interpositis ad calicem clientis describendum pervenit, non iam hoc maxime eius interest, ut magnitudinem poculorum, sed ut formam materiamque opponat; omittit igitur hac de re monere. Quo copiosior est in forma et materia describenda (38—48): opponi quidem solitas esse phialas et calices Vatinii nomine notos Martialis docent apophoreta XCV. et XCVI. (phiala aurea caelata — calices Vatinii), sed quo plus differant, in utraque parte nonnulla addit poeta: dominus in promptu habet complures pateras, et sucinas et aureas [1]) — convivae ponitur calix unus vitreus; illius paterae non sunt simplices, sed gemmatae — huius calix, ne quid vilitati desit, ruptus est necdum refectus.

Attamen fieri posse, ut et clienti aurum committatur, poeta concedit (v. 40 ss.), quamquam antecedenti versu plane negavit; concessit autem quae non concedenda fortasse putares saturae ratione habita, ut apte afferret multo maiorem ignominiam clienti sufferendam:

custos adfixus ibidem,
qui numeret gemmas, ungues observet acutos.

Scilicet graviore contumelia non ille afficitur, cui aurum omnino non datur, sed hic, cui, cum detur, simul custos ponitur: non iam contemnitur neglegiturque, immo, quasi fur esset,

---

[1]) Non recte mea sententia Friedlaender ad v. 38 unum poculorum Virronis genus statuit: „die Becher, deren sich V. bedient, sind aus Bernstein . . . und mit Beryllen besetzt . . .“; duo paterarum genera describi puto, quorum in altero materia (sucinum), in altero ornamentum (gemmae) laudatur; huius materiam fuisse aurum ideo verisimile est, quod pergit poeta: „tibi non committitur a u r u m“, quod gemmis ornatum esse v. 41 docet; cf. Iuv. 10, 26 s., Mart. XIV. 109.

diligentissime custoditur. Quam ad rem ut transitum sibi faciat, eadem arte utitur Iuvenalis, qua usus est, ut potestatem cenae describendae sibi faciat: non tantae avaritiae patronus inducendus erat, ut omnino numquam ad cenam vocaret velut Marius ille quem Martialis eludit X. 18; concessit ergo poeta, repugnans quidem (v. 15 ss.), fieri posse, ut aliquando invitaret; tum vero pergit; „qualis cena tamen..“. Eadem ratione v. 72, cum iam dixerit cavendum esse clienti, ne manum porrigat ad panem dominicum, addit „finge tamen te improbulum . . .“ eo nimirum consilio, ut apte convicia servi insuper referre possit.

Indignandum hoc certe convivae probo, qualem Iuvenalis inducit; sed et alii sunt, quorum exemplum habes vel Martialis illum de quo dicit VIII. 59

Aspicis hunc uno contentum lumine, cuius
 Lippa sub attrita fronte lacuna patet?
Ne contemne caput, nihil est furacius illo . . .
Hunc tu convivam cautus servare memento:
 Tunc furit atque oculo luscus utroque videt;
Pocula solliciti perdunt ligulasque ministri . . .

vel Dionysodorum et Ionem Luciani (conv. 46): *Διονυσόδωρος δὲ ἄλλο τι γελοῖον ἐφωράθη πεποιηκώς. σκύφος γὰρ ἐξέπεσεν ἐκ τοῦ κόλπου ἐξαναστάντος αὐτοῦ. εἶτ' ἀπολογούμενος Ἴωνα ἔφη ἀνελόμενον ἐν τῇ ταραχῇ δοῦναι αὐτῷ, ὅπως μὴ ἀπόλοιτο.* Apte editores conferunt quae de T. Vinio narrabantur Tac. hist. II. 48., Plut. Galba 12, 2, nomine omisso Suet. Claud. 32. — Suo iure igitur reges servis mandasse videntur, ut paulo acrius convivarum gestus motusque observarent, cum vasa pretiosa ponebantur; quod tamen certe non ita fiebat, ut a conviva ne digitum quidem discederent, sed satiricus hoc non minus acute enarrat quam diligentiam servi custodis, qui gemmas numerat, digitorum motus observat, ungues respicere non intermittit, ne quid gemmarum evellatur: talia nimis acute excogitata videntur, quam ut ad veritatem dicta putari possint.

Cum satis dictum sit de potionum poculorumque generibus, apte transit poeta ad ministros v. 52 ss. Martialis

numquam de iis queri videtur, cum cenam describit; quo copiosius hac de re agit Lucianus (de merc. cond. 26. 27; Sat. 17. 18. 22. 32); satis erit unum locum exscribere qui omnia fere complectitur quae de ministris dici solebant: *ὁ οἰνοχόος ὀξὺ δεδορκέτω ἐκ περιωπῆς ἐς ἕκαστον, καὶ ἔλαττον ἐς τὸν δεσπότην καὶ ἐπ᾽ ὀξύτερον ἀκουέτω* (sat. 18). Qua de re et Iuvenalis loquitur vv. 60—66, sed aliam contumeliam clienti sufferendam inducit, de qua nihil apud Lucianum: ut vinum, ut aqua, ut pocula diversa, ita alius domino, alius convivae est minister: huic foedissimus, illi formosissimus. Quod ne semper et ubicumque sese ita habuisse credas, legenda sunt Martialis epigr. IX. 25 et X. 98, quibus apparet et convivis (qui clientes sint necne incertum quidem) pueros pulchros miscuisse; conferas Luc. Sat. 38, ubi divites accusant pauperes, quod *ἐπειδὰν πλεῖον τοῦ ἱκανοῦ ἐμπίωσιν, ἢ παιδὸς ὡραίου μεταξὺ ἀναδόντος τὸ ἔκπωμα ἔνυξαν τὴν χεῖρα ἢ* . . . quo loco et hoc discas, suo iure dominos spectasse, ut convivis quibusdam rudiores paulo pueri ministrarent (cf. conv. 15); talia vero silentio praeterit satiricus dominis minime favens.

Et hoc igitur loco suo more quae maxime sunt contraria eligit Iuvenalis et quacumque ratione duo servorum genera inter se opponit. Clienti pocula dat cursor Gaetulus, homo igitur qui longe alio[1]) officio fungi solet, rusticus nimirum atque horridus, quippe qui „occurrentes via deiciat" (Sen. ep. 123, 7), praeterea Africanus, qualem describit Giton (Petr. c. 102, 15): „numquid et labra possumus tumore taeterrimo implere? numquid et crines calamistro convertere? numquid et frontes cicatricibus scindere? . . . crura in orbem pandere? . . . talos ad terram deducere?". Gaetulo nihil cedit venustate atque dulcedine Maurus v. 53—5; neque enim videtur mollis et formosus esse, cuius est manus ossea, cui „per mediam nolis occurrere noctem" (54)[2]), immo perniciosum esse hominem his ipsis verbis significatur; quae tamen

---

[1]) Monendum est Ciceronem (in Pis. 27, 67) contendere non esse lauti domini eodem servo ad munera diversa uti; Marquardt, Privatl. p. 153 s.

[2]) Simili colore, sensu vero plane diverso Martialis XII. 18, 22 s. Iuvenali suo venatorem comitantem describit.

perperam interpretatus est Mayor. Non agitur de malo omine ut ex. gr. Iuv. 6, 599—601, ubi videas Friedlaenderi adnotationem; nam non esset intellegendum, cur per mediam noctem potissimum ei occurrere nemo velit, cum omnia fere testimonia hac in re consentiant, mane, cum extuleris primum e domo gradum, mali ominis esse occurrentem Aethiopem vel eunuchum vel simiam vel tale quid. Homicidam vero vel latronem iure timeas noctu (cf. Iuv. 3, 302 ss., 10, 20 s.), neque male addit poeta „clivosae veheris dum per monumenta Latinae“: monumentorum altorum umbra facillime se abdunt qui viatori insidiantur: subito adorietur te Maurus pugnisque osseis caput tibi contundet. Iam apparet, quantum hic atrocitate superet cursorem Gaetulum, in quantum amplificaverit Iuvenalis ferocitatem foeditatemque hominis.

Quibus opponitur domini servus: puer, cum illi iam *ἔξωροι καὶ καρτεροί* (Luc. conv. 15), pulcherrimus, mollissimus, Asianus[1]) vultu venusto, colore albo: at illi Africani, facie taeterrima, colore nigro; hic ad nullum certe ministerium adhibetur nisi ad miscendum: Gaetulus et cursoris munere rustico fungitur; hic ingenti pretio emptus: illi multo minoris sane constiterunt: vides et hoc loco ab utraque parte quam maxime amplificavisse poetam.

Cum iam satis contemni videantur clientes, quoniam tales iis servi attribuuntur, alteram superbiam perferendam satiricus adiungit, talibus coloribus usus, quales Lucianum afferre solere supra dixi: accedit scilicet, quod ipsi ministri quoque convivas pauperes contumeliis afficiunt (v. 60 ss.). Nova nunc specie callide repetit Iuvenalis, quae iam v. 49—52 tractaverat: illo vero loco regis ni fallor malignitate fieri intellegi voluit, quod decocta clientibus non datur; nunc haec eadem servorum invidiae et desidiae tribuit apte bis eandem rem in usum suum conferens (cf. similia pag. 48, 52).

Iam vero coniungendo domini servorumque superbiam quae vis atque acerbitas saturae addi possit, nemo non videt.

---

1) Quem Schuetze, l. l. p. 27, miro errore Gaetulum esse vult male intellecto versu 59: „formam aetatemque Gaetuli Ganymedis acerbe praedicat 5, 56 sq. . . .“

Hac igitur colorum copia utitur satiricus, cum vino, aqua, poculis, servis tractatis p a n i s restet qui describatur, antequam ipsius cenae enarrandae initium fiat, v. 67 ss.; domini enim malitia fieri videtur, quod sordidissimus panis ponitur, servi, quod tam turpiter et insolenter ponitur. Non inutile erit conferre quae Martialis[1]) attulerit in pane describendo IX. 2, 3 s.

„illa [amica tua] s i l i g i n e i s pinguescit adultera cunnis,
convivam pascit n i g r a f a r i n a tuum".

Vides consentire auctores hac in re, quod apud utrumque convivae prioris ordinis servatur siligineus atque niveus; cui Martialis bene nigram farinam opponit, quam similiter XI. 56, 8 in numero rerum vilissimarum hominis pauperrimi habet. At Iuvenalis suo more multo acriora petit: de colore panis convivis positi, quamquam et ipsum nigrum sibi finxisse eum apparet, quia opponit „niveum" (cf. 75 „vis tu .. panis .. tui novisse colorem"), nihil monendum ratus panem describit non modo viliore farina coctum sed qui omnino non potest edi: mucore corruptum et tam durum, ut dentes mordenti moveat. Quod cum iam satis contumeliae esse posset, eo quod supra commemoravi artificio Iuvenalis alteram maiorem addit v. 72—5: qui clam fortunam corrigere conatur, clamore ac convicio a servo, qui ob id ipsum positus videtur, ponere cogitur ereptam iam frustulam panis dominici.

Haec ubi dixit poeta de apparatu et quasi fundamento totius convivii, interposita quae denuo excitet indignationem laborum clientis enarratione (76—9), ad ipsam cenam depingendam accedit, qua in pertractanda eodem quo antea modo domini convivarumque fercula quam maxime contraria ponit.

Primum agit de l o c u s t i s: opponuntur squilla et cammarus. Neque plane perspexit Friedlaender, cur squillam potissimum nominaret poeta; perperam enim e loco Cicero-

---

[1]) Nescio, ubi Gercke (Gött. gel. Anz. 1896, p. 972) apud Lucianum de varii generis pane aliquid scriptum invenerit, quod cum Iuvenalis loco consentiret; certe — quod Mayor attulit — de merc. cond. 17 .. *ἄνθρωπος λιμοῦ πλέως οὐδ' ὄναρ λευκοῦ ποτε ἄρτον ἐμφορηθείς* non huc spectat.

nis ep. ad fam. IX. 10, 2 conclusit magnum cancrum esse squillam, immo recte Marx ad v. 1240 Lucilii parvulae genus locustae esse contendit, quod ipso Ciceronis loco probatur: lautitiae enim haud cotidianae mentionem facere Dolabellam eo loco manifestum est, cum Ciceronem inducat monentem, ne ingentium squillarum Niciae obliviscatur. Quo sordidior apparet Virro qui se ipsum rarae magnitudinis [1]) squilla delectat, convivae pauperi vero minutissimam locustulam poni iubet. Namque cammarum vile parvumque locustarum genus esse et Martialis docet II. 43, 11 s.; cuius parvitatem ut iam magis conspicuam reddat, „dimidio constrictum ovo" appositum fingit: ovo contineri [2]) potest, quod clienti datur; quae domino affertur squilla ultra lancem cauda prominet. [3]) Quae cum ita sint, non est mirandum, quod et lances spatio differunt: cum clienti ponatur exigua patella, ipsius iam squillae magnitudine apertum fit permagnam pateram Virroni afferri.

Locustis adduntur in utraque parte genera olerum diversa: asparagis Virronis — „altilibus" certe (Plin. h. n. XIX. 54) mollibusque (Lucil. 945 M.) — opponitur caulis, merus pauperum clientium cibus (Iuv. 1, 134), quo ut se delectent, non ad cenam patroni eundum est; accedit, quod ita est apparatus, ut fastidia movere possit („pallidus", cf. Mart. XIII. 17 [4]); vel cum modestissime cenetur, virens ponitur: Mart. V. 78, 7); iam alia superest foeditas depicta

---

1) Eodem igitur colore squilla ornatur, quo mulli laudari solent, cf. Hor. s. II. 2, 33 ss.

2) Quod bene monuisse Friedlaenderum puto; nescio tamen, num vir doctissimus verbo „constringi" satisfaciat, cum interpretetur: „der . . auf einem der Länge nach durchschnittenen Ei Platz hat . ."; hac enim condicione non cammarus sed ovum constringi mihi quidem videtur, nam — quantum vidi — ea significantur verbo constringi, quae desuper vel duabus simul a partibus comprimuntur (cf. imprimis Mart. XI. 56, 10 nec non XI. 99, 5). Quare sic fortasse res explicanda est (similia iam Ruperti monuit): ut apud Martialem V. 78, 5 ova ita videntur apparata esse, ut primum ovo dimidiato alteri dimidio paulum cybii illineretur, tum alterum dimidium insuper reponeretur, ita ferculum a Iuvenale descriptum duobus ovi dimidiis compositum est, nisi quod non cybium sed cammarum continent.

3) Optime dictum est „despiciat" prosopopoiiae forma adhibita: ipse cibus iam superbit clientesque contemnit; cf. similia p. 21, adn. 1.

4) Ne tibi pallentes moveant fastidia caules, nitrata viridis brassica fiat aqua.

Horatii fortasse locis s. I. 6, 123 et II. 2, 59[1]) contaminatis: „olebit lanternam“, cum dominus oleo Venafrano utatur; neque sibi ipsi satisfacere videtur poeta in depingenda olei vilitate: verbo „quod“ ter[2]) per anaphoram duplicato aliud alii addit argumentum, quo ita olere caules demonstret „velut illis Canidia afflasset, peior serpentibus Afris“ (Hor. s. II. 8, 95).

Sequuntur p i s c e s, quos item affert Martialis II. 43, 11 s., III. 60, 6: opponuntur mullus muraenaque et anguilla lupusque Tiberinus. In mullis plurimi aestimatam esse magnitudinem eximiam satis notum est; quo tamen colore neglecto hoc sibi referendum sumit poeta, unde venerit piscis: Corsicam vel rupes Tauromenitanas misisse mullum fingit. Quod non remotiores nominaverit regiones, mirum fortasse videbitur, si respexeris aliorum auctorum locos similia tractantes velut catalogum ciborum exquisitorum, quem e Varronis satura *περὶ ἐδεσμάτων* exscripsit Gellius (403 B.) vel Petronii c. 93, 2 vel Luciani Cyn. 8; tamen quid sibi velit Iuvenalis ex eo intelleges, quod saxatiles mullos praeter ceteros dilectos esse nonnullis locis traditur (cf. Mayor ad l.): hac de causa et freti Siculi saxa nominat et Corsicam, opinor, cuius litus ad meridiem et occidentem spectans

---

1) „. . . ungor olivo, non quo fraudatis immundus Natta l u c e r n i s“ — „cuius odorem olei nequeas perferre . . c a u l i b u s i n s t i l l a t.“

2) Totidem coloribus depinxit squillam (v. 81 ss.): „aspice quam longo pectore . . . quibus asparagis . . . qua cauda . . .“, nec non poma Virroni data (150 ss.): „quorum . . . odore, qualia . . . Phaeacum autumnus . . ., quae . . . subrepta sororibus Afris.“ Et bina coniungere Iuvenalis amat: duobus exemplis vinum clientibus positum describitur; duo vini genera — et quod ad aetatem et quod ad patriam attinet — patronus bibit; eodem modo iunguntur Thrasea Helvidiusque, qui Brutorum et Cassi natales celebrabant; duo poculorum genera tenet Virro; aut Gaetulus aut Maurus Trebio ministrat; duo pisces patrono, duo clienti ponuntur; aut de Corsica aut de Sicilia mullus mittitur. Eandem rationem sequitur Iuvenalis in nominibus personarum proferendis: Proculeius-Gillo (1,40), Proculae-Pollittae . . Fabulla-Carfinia (2, 68), Artorius et Catulus (3, 29), Albina et Modica (3, 130), Calvina vel Catiena (3, 133), Palfurius-Armillatus (4, 53), Sarmentus-Gabba (5, 3), Laenas-Aurelia (5, 98), Haemus et Carpophorus (6, 189), Camerini-Barea, Pelopea-Philomela (7, 90 ss.), Chrysogonus-Pollio (7, 176), Lysimachus-Secundus Carrinas (7, 204), Capito-Numitor (8, 93), Pansa-Natta (96), Volesos Brutumque (182), Oppia sive Catulla (10, 322), Curtius-Matho (11, 34), Gallitta et Paccius (12, 99), Caedicius-Fuscus (16, 46).

ingentibus scopulis finitur. Similibus coloribus atque mullus alter describitur piscis, muraena (99), quam optimam fretum Siculum gulosis suppeditasse notum est; quarum maximam Virroni eligi atque poni Iuvenalis vult. Et qui a parte clientis respondent[1]) (103—6) pisces, anguillam et lupum ita potissimum notare voluisse poeta videtur, ut referat, ubi sint capti: cum domino mullum muraenamque mare Siculum mittat, clienti apponitur quod Tiberis fluvius procreat, anguilla et lupus Tiberinus „vernulae riparum“: quid de fluviatilibus piscibus iudicaverint antiqui notum est. Quorum tamen cum ipsam anguillam ipsumque lupum Tiberinum maximi aestimatum esse acceperimus[2]), mirandum est, quod haec vilis escae exempla attulit Iuvenalis, cum alios, opinor, pisces fluviatiles nominare liceret. Quod an palati sui iudicio singulari commotus fecerit, nescio; certe hoc ita esse persuadere tibi studet argumentis callide inventis. Et anguillae quidem hoc in crimen vertit, quod forma[3]) similis est colubris foedis atque invisis; quarum taedium odiumque in anguillas illis forma cognatas transferri vult. Iam vero in lupo Tiberino satiricus id ipsum, quod alii maxime laudabant suum in usum convertit, cum hoc consilio cloacae mentionem faciat, ut credas idem sapere piscem quo pascitur; eodemque depravandi studio v. 104 glacie — sine dubio fluminis — factum esse simulat[4]), ut sit piscis maculis aspersus, quo appareat piscem iam in ipso flumine frigore confectum atque corruptum[5]) clienti poni; at Columellae loco VIII. 17 (cf. Mayor ad l.) docemur totum esse luporum genus,

[1]) Anguillam muraenae, lupum mullo opposuisse poetam crediderim propter formarum similitudinem; qua re tamen mihi quidem nondum satis explicari videtur illud, quod mirum in modum hos potissimum pisces elegit, ut malam tractationem illustraret.

[2]) De anguilla cf. Oderum s. v. „Aal“, Pauly-Wiss. I. p. 3 ss.; de lupo Tiberino cf. testimonia apud Marquardtum, Privatleben p. 434, 4 et Marxium ad v. 1174 Lucilii.

[3]) Qui a Mayore affertur locus Varronis de l. l. V. 77 non huc quadrat; si ad nominum similitudinem respexisset Iuvenalis, certe non „colubrae“ dixisset, sed „anguis“ verbo usus esset.

[4]) Non perspexit satirici consilium Froehner, mus. Rhen. XLVII. 1892, p. 388.

[5]) Velut Martialis III. 60, 8 picam in cavea mortuam sibi afferri queritur.

quod maculis — natura insitis — a ceteris differat, neque plane contemptos esse tales lupos vel ex eo intellegitur, quod sibi monendum putat Columella, ne quis eius generis lupos in piscinam includere velit, cum claustra non patiantur.

Insertis paucis versibus, quibus interrumpatur paululum ciborum descriptio (107—13), redit poeta ad argumentum: domino ponitur iecur anseris videlicet magni, altilis magnitudine excellens, aper quibus solet (cf. Mayor ad l.) coloribus laudatus; accedunt tubera, neque lepores defuisse v. 124 docet: sed quaenam clientibus ponantur, nusquam legimus. Inde apparere Friedlaender putat (ad v. 114; cf. pag. 256): „Der Hauptgang wird offenbar nur für die besseren Gäste aufgetragen. Die Hoffnung, welche die Klienten äussern, die Reste eines Hasen, etwas von der Keule des Wildschweins, ein kleines Masthuhn zu erhalten (166—8) geht nicht in Erfüllung . . .“ Contra Gercke (l. l. p. 985) contendit e versibus 166 ss. collato Luciani loco Sat. 22[1]) effici, „dass der lang erwartete Hauptgang jetzt an sie kommt. . . Übertreibung ist, dass sie auf die Braten . . warten müssen, bis einige andere Gänge, der Schluss des Essens, vorüber sind: aber die frohe Aussicht, nun noch post festum in die Braten „einhauen“ zu können, ist ein versöhnender Schluss.“ Quod mihi tamen non persuasit. Namque v. 166 ss. minime actas res referre poeta in animo habet, cum finita mensae secundae descriptione (155) simul totam cenam absolverit; immo amplius atque vivida imagine illustrat, quod v. 162-67 iam posuerat: „spes bene cenandi vos decipit“: „Tu tibi liber homo videris; at non ita te geris: ne verbum quidem profertis, omnia perpetimini, cum unus quisque vestrum in ferculum domino positum inhians nil cogitet nisi „ecce, dabit iam . . . .“; hac spe capti (i n d e; cf. 1, 168) stricto pane t a c e t i s neque ullus mu facere audet.“ Quodsi cum Gerckio interpretandum esset,

[1]) *καὶ μὴ τὸν μὲν ἐμφορεῖσθαι τῶν ὄψων καὶ τὸν οἰκέτην περιμένειν ἑστῶτα, ἔστ᾽ ἂν ἀπαγορεύσῃ ἐσθίων, ἐφ᾽ ἡμᾶς δὲ ἐλθόντα, ἔτι παρασκευαζομένων, ὡς ἐπιβάλοιμεν τὴν χεῖρα, παραμείβεσθαι δείξαντα μόνον τὴν λοπάδα ἢ ὅσον ἐστὶ τοῦ πλακοῦντος τὸ λοιπὸν . . .*

re vera, quamquam cena finita, clientibus leporem, aprum, altilem afferri, me non intellegere fateor, quid sibi velit illud „stricto pane tacetis.“ Neque vero, quoniam v. 166 ss. non quae in convivio re vera acta sint referri censeam, Friedlaenderi opinionem sequi possum, qui verbo „decipit“ deceptus ita videtur intellexisse: „si speratis ad vos iam leporem, aprum, altilem venturam esse, spes vehementer vos fallit“; immo expressis verbis nusquam hac in re clientium mentionem fieri meo iudicio est statuendum. Hoc certe non diligentis poetae est; sed talia Iuvenali nonnumquam accidisse Friedlaender p. 50 duobus exemplis bene docuit[1]); accedit, quod inde a v. 126 nimio ardore impulsus aliud atque aliud argumentum proferens tantum a proposita via aberravit, ut ipse sibi praecideret reditum: non commodius subnecti potuit quod de clientibus quantum ad caput cenae pertinet adhuc dicendum erat, quam quae de mensis secundis addenda erant. Quod quomodo factum sit cum melius possit demonstrari, si totus locus (116—145) simul inspicitur, tum de his versibus agere placuit, cum de egressionibus dicendum erit.

In fungis describendis plane eadem contraria componit Iuvenalis, quae Martialis III. 60, 5, nisi quod et haec exacuit aliquantum: suspectum esse fungorum genus clientibus positum expressis verbis notat („ancipites“), neque quoslibet boletos Virroni dari vult, sed egregios, electos, „quales Claudius edit . . .“ [2])

Neque de malis omittit dicere — de quibus nil apud Martialem — usitatis quidem coloribus domini poma de-

---

[1]) 1, 127 „ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum“; at non prosequitur poeta, quod sibi proposuerat; similiter 6, 474 „est pretium curae penitus cognoscere toto quid faciant agitentque die“ . . non ultra primam diei horam narrationem producit. Neque in eadem rerum condicione consistere solere Iuvenalem, a qua exitum sumpsit, sescentis exemplis comprobatur (cf. Gercke, l. l. 979); quod nos quoque supra saepius ostendimus.

[2]) Hunc colorem e Martialis loco I. 20, 4 („turba spectante vocata solus boletos, Caeciliane, voras. Quid dignum tanto tibi ventre gulaque precabor? Boletum qualem Claudius edit, edas.“) sumptum esse cum alii contenderunt, tum Gercke (p. 971). Quod potest ita factum esse, quamquam in omnium ore videtur versatus esse Claudii vel Agrippinae boletus (cf. Iuv. 6, 621; Plin. h. n. XXII. 92).

scribens; singularia vero profert, ut depingat mala Trebio data, ubi nimio describendi et circumscribendi (cf. Friedl. ad 1, 25) amore ductus minutissima quaeque enarrare non veretur.

Iam ipsius convivii descriptione usque ad finem tractata eas inspiciamus oportet saturae partes, quae ex ipso quidem argumento fluxerunt, sed nonnumquam longius fines saturae excesserunt.

Egressionum igitur pars maxima fluxit e nimio depingendi et exornandi studio. Primam quidem quam afferendam puto nondum excessisse modum concedendum est: „illud enim [1]) vestris datur alveolis quod canna Micipsarum prora subvexit acuta, propter quod Romae cum Boccare nemo lavatur, quod tutos etiam facit a serpentibus atris.“ (88—91): qui colores afferunt certe nonnihil ad augendam olei vilitatem, neque tanguntur res nimis alienae ab argumento praeter illud, quod immundus quidam homo in transcursu Iuvenalis more carpitur; quod quamquam et aliis locis permultis facere solet poeta (cf. p. 38, adn. 2), tamen hic fortasse Horatii exemplum secutus est. Etenim cum iam versu 87 Horatiano colore usus esse videretur (s. I. 6, 123; s. II. 2, 59), v. 90, ut Horatius I. 6, 124 Nattam, ita ipse Boccarem [2]) in transcursu perstringendum censuit, et fere eadem condicione qua Horatius Nattam: cf. „u n g o r olivo non quo Natta . . .“ — „cum Boccare nemo lavatur“. Tum amplificans quae de Boccare protulerat, tertium illud comparationi addit „quod tutos etiam facit a serpentibus atris“ eodem argumentandi modo usus, quo v. 24 lanam sucidam non pati posse vinum clienti positum finxerat: qui fieri potest, ut homines perferant olei odorem, quem vel angues,

---

[1]) Saepe ita transitum sibi facit poeta; cf. huius saturae v. 43. 93. 100.

[2]) Pariter Horatii exemplo Iuvenalem commotum esse, ut de Pythagoreis illud in transcursu adnecteret 3, 229 supra monui p. 49 adn. 2. — Ut Boccaris Africani potissimum hoc loco meminisset, ideo factum videri potest, quod de canna M i c i p s a r u m modo dixerat poeta (89). Unde Friedlaender sibi sumpserit Boccarem fuisse regem Mauretaniae Iugurthae temporibus (ad v. 90), nescio; de Boccho videtur perperam cogitavisse, socero Iugurthae.

quamquam ipsi pestiferum foedissimumque efflant spiritum (Hor. s. II. 8, 95), vitant atque horrent?

Iam nimis autem egrediendi cupiditati indulsit poeta, cum induceret simiam capellae inequitantem (153 ss.) diligenter et accurate singula enarrans: „metuens flagelli" „hirsuta capella": quale fuerit clientis malum, hoc non illustrat. Neque illud pertinet ad convivii rationem describendam, quod in vino domini denotando pergit 36 s. „quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant Brutorum et Cassi natalibus": laudatori temporis acti talia tribuenda sunt, qui facere non potuit, quin argumentum sibi gratissimum tangeret: „videte! quondam sanctissimi viri putaverunt non nisi festis diebus tali vino frui sibi licere, quali nunc homo vilissimus totum per annum sese implet; o tempora, o mores!" Talia ut inserat, libenter poeta egreditur (cf. p. 56), velut 110 ss.:

namque et titulis et fascibus olim
maior habebatur donandi gloria.

Quorum tamen versuum sententiam melius Ioannem Lydum (de magistr. I. 20; Mayor ad v. 111) quam Friedlaenderum expressisse puto; nam cum hic verba „titulis et fascibus" casu dativo posita atque dicta esse pro „viris, titulis et fascibus ornatis" contenderet[1]), ille rectius mea sententia ablativum quem vocamus comparationis statuendum esse duxit: *πάσης . . τῆς τιμῆς πρώτην ἐλογίζοντο οἱ τῆς Ῥώμης εὐπατρίδαι τὴν ἀπὸ τῶν χαρισμάτων εὐφημίαν . . . καὶ μάρτυς ὁ Ῥωμαῖος Ἰουβενάλιος εἰπών, καὶ ὑπατειῶν καὶ θριάμβων καὶ τῶν ἐν πολέμοις ἀνδραγαθημάτων πρώτην*[2]) *γενέσθαι τοῖς ἀρχαίοις τὴν ἀπὸ τῶν χαρισμάτων εὔκλειαν.*

Iam saepius una cum laudatione temporis acti in sui temporis luxuriam invehitur. Quod iam v. 36 s. subaudien-

[1]) „Bei Männern, deren Namen in Inschriften prangten, und die Inhaber von fasces waren, galt damals Freigebigkeit für ruhmvoller als jetzt." Nihilominus loco Lydi ad. v. 110 allato — mutilo quidem — nil hac de de re addidit.

[2]) Scriptor Graecus, cui illud *πάσης τῆς τιμῆς πρώτην* enuntiati prioris adhuc in animo fuisse videtur, pro comparativo „maior" posuit superlativum *πρώτην*, adiuncto tamen genetivo comparationis, eadem constructione usus qua ex. gr. Homerus Od. 5, 105; 11, 483; Thucyd. I. 1, 1; Ephorus apud Macrob. 18, 7; alii; cf. Kühner, Gramm. d. gr. Spr.[3] II. 1. p. 22 ss., Mayser, Gramm. d. gr. Papyri p. 302.

dum erat; aliud habes exemplum v. 56—9, ubi noluit imitari Iuvenalis, qualia Martialis[1]) proferre solet, vel aliam certam pecuniam nominare, ne deesset occasioni illustrandae corruptos saeculi mores oppositis temporibus antiquis: Tulli regis Romani divitias bellis paratas in comparationem vocat, quibus, cum ne ipsae quidem sufficere videantur, Anci, tum, quasi taederet nequiquam singulos afferre, omnium regum opes addit. Quamquam mirandum, quod praeter Tullum etiam Ancum expressis verbis nominavit, quem non tam divitem quam bonum laudare solebant[2]); sed, cum Tulli mentionem faceret, meminerat poeta loci Horatii c. IV. 7, 15 „dives Tullus et Ancus“, ubi suo iure (cf. Kiessl.) Ancum attulit Horatius; inde et in Iuvenalis versum irrepsit[3]).

Eodem consilio v. 43—5 paulo longius moratur in depingendis poculi Virronis gemmis; nam quamquam sententiam paulo obscurius expressisse mihi videtur, ita fere interpretandum existimo: decore Aeneas gemmis usus est, qui vaginam iis ornavisset, rem utilem, viro dignam; non iam laudandi sunt, qui digitos exornant anulis gemmatis; quos tamen insania luxuriosa longe antecedunt ii, qui gemmas ad pocula transferunt. Iam et hoc loco attendas quaeso, quantum Iuvenalis indulgeat memoriae locorum, quos apud poetas legerat. Nam cum in describendo Virronis poculo gemmis ornato iaspidem (v. 42) commemoraret, Aeneae gladii iaspis in mentem ei venit[4]), quae laudatur Aen. IV. 261; quem ensem cum a Didone muneri[5]) Aeneae datum meminisset (IV. 263), occurrit ei neglectus prae Aenea Iarbas ac zelotypus, quem

---

[1]) III. 62 inter summas lautitias enumeratur: „Centenis quod emis pueros et saepe ducenis . . .“; cf. I. 58, 1; XI. 70, 1.

[2]) Ennius, Ann. 149 V.[2] = Lucr. III. 1025; Hor. ep. I. 6, 27.

[3]) Similia accidisse Horatii imitatori adnotavi p. 54, adn. 1 et p. 73, adn. 2; cf. p. 45, adn. 1.

[4]) A iaspide in Vergilii locum transiluisse poetae animum equidem malim ponere; contra Friedlaender ad v. 42 contendit: „Dass gerade dieser Stein genannt wird, ist durch die Reminiscenz an Vergil A. IV. 261 bedingt.“ — Ceterum notabili typographi certe errore apud Friedlaenderum in loco Aen. IV. 261 ad v. 42 allato legitur „atque illi (I a r b a e) stellatus iaspide fulva ensis erat“; irrepsit Iarbae nomen e loco infra collocato Aen. IV. 36 „despectus Iarbas“.

[5]) Cf. R. Heinze, Virgils epische Technik p. 139 adn. 2.

paulo ante (v. 196 ss.) furore incensum induxerat Vergilius, de quo Dido ipsa 320, 326 monet Aeneam. Hinc[1]) ergo sibi sumpsit colores, quibus Aeneae nomen docte simul et lepide significaret; ne longius ab argumento abscederet, dum colligit „disiecti membra poetae“, non curandum putavit.

Idem accidit satirico v. 100—2. Etenim cum in gurgite Siculo muraenam captam esse referret, occurrerunt ei, quae de loci illius immanitate, de Scylla et Charybdi narravit Homerus nec non Vergilius: quo colore utendum videbatur ad perstringendam nefariam illam hominum in cuppediis quaerendis audaciam, de qua simillima protulit Petronius c. 93, 2[2]). Tum vero ventorum carceris memor, quem Siciliae propinquum Vergilius descripserat Aen. I. 51 ss. („n i m b o r u m in patriam, loca feta furentibus a u s t r i s, Aeoliam venit, hic vasto rex Aeolus antro luctantis ventos tempestatesque sonoras . . carcere frenat“), et talia[3]) fortasse imitatus, qualia „Frontonis platani convulsaque marmora“ clamare questus est 1, 9, de austro illud addit, quod non addidisse melius, opinor, fuit: scilicet cum exspectent nautae piscatoresque, dum ventus atque undae residant, iam minor apparet temeritas, qua „contemnunt mediam temeraria lina Charybdim“; inducendus erat potius qualem Horatius descripsit c. I. 3, 9 ss. „qui fragilem truci commisit pelago ratem . . . nec timuit praecipitem Africum decertantem aquilonibus.“

Neque v. 116 in luxuriam invehens feliciter poeta rem gessit:

post hunc tradentur tubera, s i v e r
t u n c e r i t e t f a c i e n t optata tonitrua cenas
maiores.

Mirum, quam diligenter veretur Iuvenalis poetae iure usus ponere, esse tempus vernum — quod sine ulla religione

---

[1]) Eiusdem libri v. 328 utitur Iuvenalis v. 138/9 „nullus tibi parvolus aula luserit Aeneas“. Fortasse et Gaetulum servum (v. 53) debet Vergilii loco eiusdem libri 326: „aut captam ducat Gaetulus Iarbas?“

[2]) v. 5 ss. „ultimis ab oris attractus scarus atque arata Syrtis, s i q u i d n a u f r a g i o d e d i t, probatur: . . . quicquid quaeritur, optimum videtur.“

[3]) Cf. Lucani V. 608 ss. . . . „Non euri cessasse minas, non i m b r i b u s a t r u m Aeolii iacuisse n o t u m sub c a r c e r e saxi Crediderim . . .“

fecit, cum squillam asparagis saeptam induceret —; nam finge non esse ver: iam non ponuntur Virroni tubera, iam minus graviter peccat, iam tollitur aliquantum de acerbitate loci. Qua tamen de causa hoc addiderit, non dubium; nempe inopportuna invehendi in luxuriam cupiditate captus qualicumque ratione occasionem sibi arripiendam censuit neque satis cavit, ne totius loci consilium turbaret.

Ex eodem fonte fluxit indignatio, quam structor (120 ss) satirico certe magis quam clientibus convivis movit. Erat enim homo in convivio utilissimus (cf. Marquardt, l. l. p. 314) non Virronibus solum sed ceteris quoque convivis, neque quicquam habet in se, quo maius appareat discrimen convivarum primae et secundae notae, cum aeque utrique parti prosit. At solent eum sumptus testem producere qui scribunt in luxuriam, cf. Sen. de vita beata XVII., 2: „quare ars est apud te ministrare, . . . et est aliquis scindendi obsonii magister?“ cf. Iuv. 11, 136; Schuetze l. l. p. 18. 19.

Sed accessimus iam ad egressionem longe maximam (125—145), quae quantum nocuerit compositioni saturae supra monui; singula nunc eius partes inspiciamus, ut cognoscamus, quo inventionis cursu ductus poeta aliud alii argumentum subnexuerit.

Igitur cum aprum totum apponere consuessent, qui spectantibus convivis diligenter et artificiose scinderetur (cf. Marquardt l. l. p. 430), structorem inducit Iuvenalis, „nequa indignatio desit“, cui, ut et ipse aliquantum taedii et contumeliae clientibus inferre videatur, id vitio dat, quod nimia diligentia opere suo fungitur „donec peragat dictata magistri omnia“; atque ita fieri posse fingit, ut tandem impatientes tantae morae paululum spiritus sibi sumant clientes atque indigna se pati significare audeant. Et suo iure talia fingere videtur poeta; scilicet non est liberi viri quidvis tacitum perpeti. Ante tamen quam huiusmodi sententiam adiungit, occurrit satirico: „at hi non sunt liberi! qui ferri potest, ut pauperes velut homines liberos suo iure conquerentes inducas? quasi vero nondum amisissent libertatis iura ac praemia, qui paupertate laborant.“ Commutat igitur corrigitque sententiam

quam additurus erat talem in modum, ut iam non laudari sed irrideri appareat clientem pauperem, qui etiamnunc liber esse sibi videatur[1]): „tamquam habeas tria nomina." Quod ut argumentis comprobet, de propinando quaestionem movet: „nam vide: neque patronus te liberum ac sibi parem putat, quoniam numquam tibi propinat, neque tu ipse tibi satis confidis, quoniam neque tu propinandi initium facere audes."

Iam vero cum in sententia universa ut solet in fine addita paupertatem contemptionis et timiditatis causam proferret Iuvenalis, tetigit argumentum sibi gratissimum (cf. sat. 3), quod neque hac occasione oblata praetermittendum duxit: iterum illustrare sibi proposuit illud, quod semper in animo ei versabatur „tantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis." [2])

Fingit ergo ea ratione qua Horatius s. I. 1, 15 [3]) usus est, commutari [4]) plane clientis condicionem; tum, ut suo modo (cf. pag. 35) quam acerrime ante oculos ponat, quantam mutationem rerum afferant nummi, ab eodem Virrone divitem nunc Trebium ad convivium adhibitum, divitem Trebium Virronis cenae adsidentem inducit, haud illepidis usus coloribus: qui antea servum posuit „qui numeret gemmas" (41), „qui ponere cogat" (73), nunc iterum iterumque compellat ministrum, ut optima quaeque convivae diviti apponat; quem antea non dignum putavit, cui propinaret, nunc blandissima voce fratrem appellat. Et iam, cum ad capta-

---

1) Quod iterum affirmat poeta v. 161, sed alia condicione.

2) Lucilii v. 119/20; cf. Iuv. 3, 143; 1, 106; 14, 207; cf. pag. 41, adn. 3.

3) Cf. Kiessling-Heinze ad l.; Petr. c. 100, 4 „. . et si quis deus manibus meis" inquit, „Gitonem imponeret" . . . Ut adderet Iuvenalis illud „aut similis dis aut melior fatis . . . homuncio" minime loco Terentii Eun. III. 5, v. 590 s. factum est — quod Heinrichio credidit Mayor —, sed et eo, quod haud quicquam de dis proferre potuit Iuvenalis, ut non paululum subrideret (cf. G. Boissier, Tacite p. 312), et quod sibi persuaserat fata regere homines (9, 32). Cum diceret de homuncione deorum simili, cogitavit certe de patrono liberalissimo, qualem exspectat Martialis V. 19, 9 s., qualem se praebuisse Plinium notum est (ep. I. 19, 2).

4) Eodem artificio utitur ex. gr. 3, 168 ss.; 6, 98 ss. 112 s. 144 s. 598 ss.; 10, 74 ss. cf. p. 35.

torum artes accederent quae de Virrone modo narravit[1], nova castigandi materia satirico se obtulit: quo insaniae absurdae et monstruosae captatorum moribus perventum sit, acerba ironia usus docet, talibus exornans sententiam coloribus, qui dilucide ante oculos tibi ponant[2]), quantum praeter naturam faciant qui, ut captandos sese praebeant, orbitatem affectant. Primum, quid afferant deliciarum infantes, lepidissime depingit cum pueros laudans verbis Didonis apte in suum usum conversis[3]), tum gradationis figura adhibita puellas iam dulciores illis; deinde uxoris condicio quam sit plane perversa exponit sententia constricta et concisa:

iucundum et carum sterilis facit uxor amicum.

Poterat iam hic subsistere satiricus. Sed quam modo expresserat de matrimonio sententia novam subinde materiam secum attulit: etenim cum de uxore legitima diceret poeta, occurrit ei non cadere in concubinam, quae cadunt in illam; altera igitur cum se obtulerit occasio satirico opponendi cupidissimo haud ingrata contrariis compositis carpendi hominum amentiam et mirabilem rerum inquitatem, eadem qua antea (v. 132) ratione contraria subnectens longius egreditur: „sed tua nunc Mycale . . .“ (141 ss.); neque parcus colorum, ut quam acerrime opponat concubinae condicionem plane diversam, fingit eam parientem pueros tres atque eos uno eodemque partu; neque casu certe accidit, quod tres pueros pari facit; nam, praeterquam quod numerum quam maxime amplificatum[4]) nominare voluit, si respicis, quibus argu-

[1]) Afferunt editores Hor. ep. I. 6, 54 (ubi inter ambitionis artes commemoratur) „frater, pater adde; ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta“, et Quintiliani decl. 321, s. (p. 259 Ritteri) „quotiens blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra potest, quam ut fratres vocemus.“ — Nummos (v. 136) inducit poeta eadem figura usus qua 1, 113 pecuniam.

[2]) Gradationis figura utitur praemisso verbo „tamen“ velut 3, 302; 6, 369. 413. 434. 557.

[3]) Bene attulit Vergilii locum, quo simul de saeculo dici apparet: quod Didoni in votis erat spernunt iam et horrent qui nunc sunt homines.

[4]) Monet me Fridericus Muenzer de loco Plinii h. n. VII. 33, ubi tergeminos nasci Horatiorum Curiatiorumque exemplo probandum ducit auctor: „super inter ostenta dicitur praeterquam in Aegypto . . .“

mentis captandi suspicionem a se ipso removeat Iuvenalis 12, 93 ss., eundem liberorum numerum invenies:

„ne suspecta tibi sint haec, Corvine, Catullus,
pro cuius reditu tot pono altaria, parvos
tres habet heredes . . .“:

cogitavit poeta de iure trium liberorum (cf. 9, 90). Et hos in pueros ergo captatoris artibus utentem describit patronum bene servata convivii fictione; singulos colores mirum in modum cum Theophrasti char. II. 6 et V. 5 [1]) consentire Mayor iam vidit.

Restat iam locus inprimis idoneus, qui poetae inventionem illustret. Namque v. 92 ss. augendae superbiae atque iniquitatis domini sumptuosissimi causa mullum a Sicilia vel Corsica missum fingit satiricus. At quomodo sibi constat, cum pergat:

„. . quando omne peractum est
et iam defecit nostrum mare, dum gula saevit,
retibus adsiduis penitus scrutante macello
proxima, nec patimur Tyrrhenum crescere piscem“?

Quid? si nullus iam capitur piscis in mari Tyrrheno, unde comparandi sunt, nisi a regionibus remotioribus? quarum quae sunt propiores orae Italiae quam Corsica et Sicilia insulae? quid ergo peccat dominus, cum inde piscem sibi quaesiverit? nisi hoc fortasse crimini ei tribuendum putas, quod marinos pisces sectatur neque fluviatilibus contentus est; at hanc rem non premit poeta. Immo tollit atque subvertit haec sententia indignationem, quam modo moverat poeta, quoniam ipse affert, qua de causa aliunde pisces quaerendi sint.

Atque facile intellegi posse puto, quid Iuvenalem permoverit, ut talem adderet sententiam. Scilicet ut et aliis locis occasionem oblatam in transcursu luxuriam castigandi non praetermisisse eum vidimus, ita nunc talium locorum

---

[1]) . . . *καὶ τοῖς παιδίοις μῆλα καὶ ἀπίους πριάμενος εἰσενέγκας δοῦναι ὁρῶντος αὐτοῦ* . . — *καὶ κεκλημένος δὲ ἐπὶ δεῖπνον κελεῦσαι καλέσαι τὰ παιδία τὸν ἑστιῶντα καὶ εἰσιόντα φῆσαι σύκου ὁμοιότερα εἶναι τῷ πατρὶ καὶ προσαγόμενος φιλῆσαι* . . .

memor, quibus enumerandis maris terraeque irritamentis gula, voracitas, luxuria castigatur velut Varronis satura *περὶ ἐδεσμάτων* [1]), nimio castigandi studio ita captus ac circumventus est, ut non satis caveret, ne nimis in alterum adversarium invehens alteri latus praeberet neve eius commodis invitus serviret.

Atque egredi dico Iuvenalem finem huic saturae positum, quotienscumque impugnatur elegantia cenae ipsa neque illustrandae superbiae iniquitatisque causa describitur. Etenim, si recte disputavi ineunte hoc capite, et hac satura iniquitatem atque malitiam divitum potentiumque sibi perstringendam proposuit Iuvenalis, quam in sat. 1 et 3 maxime pressisse eum antea vidimus. Hanc ut quam acerrime ante oculos ponat, ideo dominum optima quaeque ligurrientem inducit, neque eum luxuriae accusaret, si clientibus potestatem faceret, ut secum iisdem lautitiis fruerentur, neque clientes, si potestate facta delicatissima quaeque invaderent: non quod sumptuose cenat, sed quod soli sibi sumptuose cenat, aliis vero sordidissime neque „civiliter“ cum convivis agit, propterea vituperatur patronus.

[1]) Gellius VI. 16 = fg. 403 B. „genera autem nominaque edulium . . quae profunda ingluvies vestigavit, quae Varro opprobrans exsecutus est, haec sunt ferme . . .: pavus e Samo, Phrygia attagena, grues Melicae, haedus ex Ambracia, pelamys Chalcedonia, muraena Tartesia“ e. q. s.; cf. Petr. c. 93, 3 „ales Phasiacis petita Colchis atque Afrae volucres placent palato, quod non sunt faciles . . . ultimis ab oris attractus scarus atque arata Syrtis si quid naufragio dedit, probatur . . . quicquid quaeritur, optimum videtur“; cf. Iuv. 11, 14; Hor. s. II. 2, 25; Lucil. 197 s.; Luciani Cyn. 8 „ . . *ὑμεῖς δὲ τῷ δι' ἀπληστίαν τε καὶ ἀκρασίαν ἁρπάζοντι πάντα τούτῳ μάλιστα ἐοίκατε πᾶσι χρῆσθαι ἀξιοῦντες καὶ τοῖς ἁπανταχοῦ, μὴ τοῖς παρ' ὑμῖν μόνον, οὐ γῆν οὐ θάλατταν τὴν καθ' ἁυτοὺς αὐταρκεῖν νομίζοντες, ἀλλ' ἀπὸ περάτων γῆς ἐμπορευόμενοι τὰς ἡδονὰς καὶ τὰ ξενικὰ τῶν ἐπιχωρίων ἀεὶ προτιμῶντες καὶ τὰ πολυτελῆ τῶν εὐτελῶν καὶ τὰ δυσπόριστα τῶν εὐποριστων* . . .“

Iam ut paucis complecti coner quae his ex tribus saturis de inventione Iuvenalis cognovisse mihi videor, haec fere monenda sunt.

Cum omnium esset poetarum satirici generis castigare quae quoquo modo abhorrent a legibus normaque naturae vel hominum, Iuvenalis sive animi natura impulsus sive ipse expertus talia in primis saturis ante omnia sibi tractanda elegit, quae repugnant iustitiae et aequitati. Quam ad hominum rerumque iniquitatem illustrandam et argumenta antiquitus tradita commutat et nova invenit: potentes igitur divitesque maxime arripit carpendos, ut modo quam iniuste profecerint exponat, modo quam inique tractent tenues probosque; nec non urbis instituta quantum iniuriae afferant pauperibus monere omittit; quod ut quam acerbissime illustret, contrariis indagandis et opponendis diligentissime dat operam. His in iniquitatibus exponendis licet multo plurimum prodat ardoris et studii, nihilominus usitata quoque illa diatribarum atque saturae argumenta assumit: libidines turpes luxuriamque cuiusvis generis impugnat moresque saeculi corruptos conqueritur oppositis temporibus antiquis. Ubi tamen cum priores saturarum scriptores superare velit, cogitationibus coloribusque abundans ac plura eodem tempore sectari studens saepius non solum quod maxime in satura sua sibi illustrandum proposuerat obscurat egrediendo, sed etiam in ipsis egressionibus modo huc modo illuc a via declinat neque certum sermonis cursum retinet.

Vita.

Natus sum Alfredus Hartmann, Basiliensis, pridie Non. Sextiles anni 1883 Basileae, patre Samuele †, matre Ludovica Zehntner. Primis litterarum elementis imbutum benigne formaverunt docueruntque Gymnasii Basiliensis praeceptores; eiusdem collegii testimonio maturitatis instructus inde a vere anni 1902 studiis philologicis classicis et theodiscis operam dedi: Basileae undecies sex menses peregi; per sex menses (1904) Berolini versatus sum.

Docuerunt me viri doctissimi Baumgartner, Bethe, Bruckner, Dragendorff, Heman, Joël, Koerte, Meier, Muenzer, Schoene, Sommer Basilienses, Hermann, R. M. Meyer, Roediger, Roethe, E. Schmidt, Vahlen, v. Wilamowitz Berolinenses.

Seminariis me admiserunt Bethe, Heman, Koerte, Meier, Muenzer, Sommer.

Quorum omnium nec non aliorum quos non nominavi virorum optime de me meritorum memoriam pio gratoque animo semper colam; maximas vero gratias ago humanitati Friderici Muenzer, qui in dissertatione conscribenda dubitantem diligenter consilio adiuvit haesitantemque benevolentissime cohortatus est.

Index locorum.

Errata.

p. 16, adn. 1 pro „Cf. pag. 30, adn. 23“ legendum „Cf. pag. 38, adn. 1“.
p. 45 „ „Hor. s. II. 7, 26“ „ „Hor. s. II, 7, 24“.
